




Ioanis
Ie Ru.
pesissa
Te. Ia..
Quitae
1561









IOANNIS DE RVPESCISSA QVI ANTE CCCXX. ANNOS VIXIT,

de consideratione Quintæ essentię rerum omnium, opus sanè egregium.

ARNALDI DE VILLANOVA

Epistola de Sanguine humano distillato. Raymundi Lullij Ars operatiua: & alia quædam. Omnia ad selectissimam materiam medicam, & morborum curationem, vitæq; conseruationem mirabiliter facientia;

Nunc primùm in lucem data.

ACCESSIT MICHAELIS SAVONAROLAE Libellus optimus de aqua Vitæ, nunc valde correctior quàm ante annos 27. editus.

BASILEAE.



PRAESTANTISSIMO IMPERATORIS FERDInandi Medico physico D. Doctori Stephano Lauræo Amorfortio, Guilhelmus Gratarolus Medicus & Philosophus S. D.



VANDOQVIDEM animo meo semper insedit, optimè LAVRAEE non solùm nobis nasci nos, sed patriæ, amicis, & proximo cuique: id etiam pro Dei opt. max. dono, ac quantum in me fuit, re ipsa pręstare non destiti quibus in rebus potui: ac licet aliquorum malitia & ignorantia, nonnullorũq; ingratitudo, pijs conatibus meis semper utcunque obstiterit: Dei tamen optimi patris auxilio, malum in bono uincere, ueritatẽq; omnem & proximi cõmodum a-

mare ac tueri uel reluctãtibus Satana & mundi domina φιλαυτίᾳ, nixus sum, cum etiam is mihi uiuere uideatur, qui multis usui sit. Cum igitur uitæ perbreuẽ esse cursum, & occasionem præcipitem, neminem, pręsertim medicorum, lateat: ita ut consultum sit, diuturno ætatum studio habitam rerum amplã cognitionem, in pauca subtiliter, citra tamen nocuam obscuritatem contrahere: quãdo in ipsa uitæ breuitate per occupationes non infimæ hominum parti haud uacet tã multorum, qui diuersis linguis & doctrinis scripsere, ingentia uolumina legere, aut ex ijsdem opportuna & ad expeditum usum conuenientia, seligere: sed lectionis compendium inquirendum sit occupatis hominibus: non ab re hactenus tales quosdam meorum studiorũ

labores edidisse iudicabor. Nunc abstrusa fereq́ recondita quædam depromere, quæ à uulgari philoso phandi genere, & à popularibus artibus absunt, dum cogitarem, in arte præsertim medica omnium præstantissima, atq; in totius humani generis salutem comparata, suscepi edendum Ioannem de Rupescissa (qui annos aliquot integer apud me fuit & nunquam cusus) de consideratione quintæ Essentię omnium rerum. Is quidem & si pro fessione theologus fuit non uulgaris, non minor tamen naturalis philosophus fuit, minimeq́ uentri aut auaritiæ deditus: qui physices, ac proinde rei medicæ, arcana scru tatus, non uulgari peritia, studio, & labore, inter cætera, hoc opus, pietatis amore, pro Euangelicis ui ris, ut ismet sæpius testatur, cōscri-

psit: ex quo postea apud paucissimos latitante, nonnulla aliqua mutuati sunt: inter quos fuit Philippus Vlstalius, qui paginas ferè integras (licet admodum paucas) ex eo tacitè in suum Cælum Philosophorum asportauit. Huius Rupisscissæ, præter alios, mentionem fecit Abbas Tritemius in suo de scriptoribus Ecclesiasticis uolumine, quem anno à Christo ex Virgine nato. 1340. uixisse refert. Correxi ergo diligenter quę scribarũ culpa inerãt errata & obscura, ac citra rei offensionẽ, Lectori peruium opus magis feci: ita ut nullibi correctius exemplar meo extare certò putẽ. Si quos autem delicatiores authoris latinitas parum culta offendet, norint haud fuisse illorum temporum, & præsertim monachorum, latinius aut elegantius scribere:

quodq́;

quodq; ornari res ipsa neget, contenta doceri. te uerò ex eorum non esse numero iandudum & coràm noui, quippe qui rerum utilium sana cognitione delecteris, non fuco & inani uerborum aut uocabulorum strepitu. Adieci eiusdem argumenti pleraq; alia partim aliorũ partim mea: omnia uerò, ut tu alii que iudicio sano præditi, iudicare poterunt, ad difficilium morborũ citam & tutam curationem apprimè facientia. Si cui autem haud facilia factu forsan uidebuntur, is meminerit, Difficilia esse quę pulchra sunt: ac nihil esse tam durum & arduum, quod industria, studio, & diligentia, non acquiratur. Sed si hæc cũ his quæ ænigmaticus Raymundus Lullius edidit, conferantur, lucida satis ac facilia & utilissima deprehendentur. Ego uerò nõ

laudis cupidine, ſed omnes iuuan-
di ſtudio, nihil extimeſcens obtre-
ctantium aut æmulorum morſus,
hęc tandem in lucem dare uolui, at
que in primis tuo præclaro nomi-
ni dedicare, ut quibuſcunq; modis
poſſem, meum erga te amorem &
obſeruantiam declararem. Nam &
ſi putem hæc & ſimilia tuæ Excel-
lentiæ cognita eſſe, cum tamen hoc
tempore nil maius aut melius ha-
berem, confiſus ſum cùm alijs tui
animi uirtutibus, tum morum in te
ſuauitate ac benignitate, quam pro
ximè lapſo biennio mēſe Ianuario,
dum Auguſtę tua uterer conſuetu
dine tuiq; germani fratris Arnoldi
ciuilitate morum & pia eruditione
præditi, expertus non ſemel ſum:
atque ita non ad paruum munus,
ſed ad donantis animum charita-
tem tuam reſpecturam eſſe non du
bito

bito, qui quidem, quoad eius fieri poteſt, tibi tuísque omnibus gratum facere ſit paratiſsimus. Bene uale, meq́ amare magis perge. Baſileæ. M.D.LXI. menſe Maio.

LIBER PRIMVS DE CONSIDERATIONE QVINTAE ESSENTIAE OMNIVM RERVM,

traditus pauperibus & Euangelicis viris, seruis Domini nostri IESV CHRISTI, compositus à Magistro Ioanne de Rupescissa sacræ Theologiæ professore ac Philosopho egregio.

PROOEMIVM.



IXIT Solomon Sapientię cap. 7. Deus dedit mihi horum scientiam veram, quæ sunt, vt sciam dispositionẽ orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & diuisiones temporum, anni cursum, & stellarum dispositiones, naturas animaliũ, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum & virtutes radicum: & quæcunq; sunt abscõsa & improuisa didici: omnium enim artifex docuit me sapiẽ-

tiam

tiam hanc ſolummodò. Et idem Solomon cap. 16. libri Prouerbiorum dicit, Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Deus: Ergo demonſtratiuè, ſuppoſita infallibilitate Scripturæ, concluditur, quòd vniuerſa Philoſophia, quã Solomoni in verbis præmiſsis ſpiritus Domini reuelauit, eſt ad Dei ſeruitium & Euangelij Chriſti & Euangelicorum virorum, & totius corporis Chriſti myſtici deuotum famulatum, vtiliter applicanda: & ſic breuiter titulus libri concluditur probatus.

Authoris intentio.

CONſideraui ergo quòd tẽpus expenſum in pruritu mundanæ Philoſophiæ pluſquàm annis quinque ante ingreſſum ordinis in florẽtiſsimo ſtudio Toloſano, & plus alijs quinque ex quo ordinem hunc intraui cum ſtrepitu multo inanium verborum, & conflictu inutilium diſputationũ, & laude vana & gloria fatua lectionum, tam in ſtudijs particularibus, quàm in generalibus legens, ſicut eſt poſsibile tempus prædictum redimere redimam, perditum reſtaurem, & elapſum reducam ad

manum, vt ex eo extraham, iussu Iesu Christi, meritum ad æternam gloriam profuturum. Et sic quod mihi nocebat ad culpam, nutu Christi, mihi perueniat ad æternam vitam. Et vidi possibilem modum in hoc, si vtilitates quas vidi in Philosophia diuino spiritu illustrante, etiam tempore iuuentutis meæ, quo tē pore affuit mihi Deus misericors & miserator supra modum, vt reuelem pauperibus Christi & Euangelicis viris, vt qui diuitias propter Euangelium contempserunt, sine humana doctrina sciant faciliter, & de leui, ac sine notabilibus expensis, suas corporales miserias & infirmitates humanas, diuina benignitate sanare: impedimenta sanctæ orationi & meditationi mirabiliter effugare, tentationibus etiam dæmonum, quas propter quasdam infirmitates inferunt, resistere: vt in omnibus & per omnia expeditè possint totis viribus Domino nostro IESV CHRISTO deuotissimè seruire. Et cum istud opus pro solis Sanctis faciam, à quo opere, impe rante Deo, recipient tanta bona, concluditur euidenter quòd ero in eorum

benefi-

beneficijs, orationibus, & meritis quæ amplius facient auxilio lib. huius (iussu Christi & imperio eius) particeps, velint, nolint: quia quidquid est causa causæ, est causa causati. Et sic ex tempore expenso in Philosophia cum multa vanitate, mihi non cessabunt noua merita peruenire, non solùm decem annis in Philosophia pertransitis, sed plusquàm mille annis ante finem seculi sine dubio defluxuris. Ergo iam patet modus per quem potest tempus præteritum malè expẽsum ac perditum restaurari. Illum autem clementissimum Deum qui mihi indigno & vilissimo peccatori & caduco reuelauit arcana multa Philosophiæ mundanæ, humiliter & contrito animo totis viribus rogo, vt hunc librũ non permittat peruenire ad manus indignorum, vanorum, & auarorum, & illorum qui pecuniam volẽt habere, nec dare remedia: sed potius illorum qui volent dare remedia intuitu solius Dei misericordiæ ac pietatis sanctis, dignis, bonis & iustis pro sanctis & Euangelicis operibus vehementius faciẽdis: Et Deus ac Dominus noster Iesus

Christus contrarium facere volentibus impediat ne effectus sequatur, sicut auarus optat. O quantum malum foret, si hic liber perueniret ad manus hominũ mundanorum, & notitiam tyrannorũ, & seruitium reproborum: quia sicut sancti per hunc librum poterunt continuare opera vitæ Christi diutius & vehementius, ita & reprobi possent peruerso vsu diutius perseuerare in malo. Ego autem, quantum in me est, propter solos sanctos librum constituo, & ipsum custodire Iesu Christo commendo sine alijs verbis ad secretorũ reuelationem accedens, iuxta ordinem titulorũ inferius scribendorum.

Canon primus.

SEcretum primum est, quòd per virtutem quam Deus contulit naturę cõditæ, & humano magisterio subiectæ, potest homo incommoda senectutis quibus nimis in antiquis viris Euangelicis impediuntur opera Euangelicæ vitæ, curare, & amissam iuuentutẽ iterum restaurare, & vires pristinas recuperare, & rehabere, sed non eodem gradu: quod maius secretum est, quàm

sit

ſit in tota natura: & qualiter hoc fiat, per ſequentem canonem aptè demonſtrabimus.

Canon ſecundus.

HOc eſt in quo laobrauerũt omnes quærere rem creatam ad hominũ vſum aptam, quæ poſsit corruptibile corpus à putrefactione ſeruare: ſeruatum, ſine diminutione conſeruare: conſeruatum, ſi foret poſsibile, perpetuare in eſſe: quia hoc eſt quod naturaliter omnes deſiderant nunquam corrũpi, nec mori, dicente diuo Paulo ſecunda ad Corinth. cap. 5. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus grauati, eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri ipſo corpore, ne moriamur: & ideo ſubdit, Vt abſorbeat̃ quod mortale eſt à vita. Quoniam paucißimi Philoſophi peruenerunt ad vltimã notitiam rei talis, euidens eſt, & per hoc quòd medici noſtri temporis, qui ardẽt deſiderio pecuniæ & honorum, pro pecunia nil tale alicui magnati noſtri temporis potuerunt conferre nec poſſunt: nec vult Deus vt auari ſciant. Sed quia, vt dicit Paul. in epiſtola ad Heb. cap. 9.

Statutum est hominibus semel mori: ergo phantasticum est laborare, vt in hac mortali vita quæratur talis res, quæ possit corpus nostrum ex mortali immortale reddere vt in Genesi cap. 3. Ne fortè Adam mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ & comedat, & viuat in æternum, expulit eum Deus de paradiso voluptatis vt operaretur terram de qua sumptus est: eiecitq; eum, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin cum flammeo gladio atq; versatili ad custodiendã viam ligni vitæ. Phantasticum ergo esset dicere, vt Deus daret Adæ extra paradisum aliquam rem per quam posset viuere in æternum, ex quo ipsum eiecit, ne capiens de fructu ligni vitæ viueret in æternum. Hoc autẽ in textu sacro infallabiliter tenemus, Deum vnicuiq; terminum constituisse, qui quocunq; humano ingenio vel subsidio non valeat præteriri, Iob dicente, Breues dies hominis sunt: numerus mẽsium eius apud te est: cõstituisti terminos eius, qui præteriri non poterũt. Ergo subsidium illud vitæ ad terminũ prolongandum esset phantasticũ & ina

ne.

ne. Restat ergo rem quærere, quæ citra terminum vitæ nostræ à Deo præfixũ, possit corpus nostrum sine corruptione seruare, sanare, & conseruare, infirmum curare, deperditum restaurare, donec veniat vltima dies mortis in termino præfixo à Deo. Cæterùm omne genus mortis vitare omnino citra illum terminum, non est in potestate nostra: veluti ex ictu fulguris, ex casu, ex violẽtia nobis supra vires illata. Ergo iam restat, vt de morte, quæ citra vltimum ter minum potest nobis ex infirmitatibus & corruptione corporis, & ex defectu humanæ virtutis contingere, speculemur. Ratio autem dictat, quòd corpus corruptibile velle conseruare per rem putridam & corruptibilem, & rem formare per rem deformitati subiectam, et facere incorruptibile per rem deficientem, & infirmum sanare per rem infirmam, & turpe, pulchrum facere per rem fœtidam, & debilem firmum per rem infirmam, est phantasticum & inane. Ergo radix vitæ, est quærere rem de se (si staret in æternum) incorruptibilem:

quæ omnem rem ſibi vnitam, & maximè carnem, ſemper teneat incorruptã: quæ virtutem vitæ ac ſpiritum nutriat, & augeat, & reſtauret: quæ omne crudum digerat, & omne digeſtum ad æqualitatem reducat: & omnem exceſſũ cuiuſcunque qualitatis amputet, & quã cunque qualitatem deperditam reſtauret: humidum naturale faciat abundare, & ignem naturalem debilem inflammare procuret. Et ſcito ſine falſitate, quòd nullum quatuor elemẽtorum eſt tale, nec quòd includat ex ſe materialẽ compoſitionem elementorum, quia omnia talia ſunt corruptioni & tranſmutationi ſubiecta: & omne corruptibile, infirmum, & debile, additum ſuo ſimili, augmentat illud. Et quia omnes medici per tales res corruptibiles, quæ ſunt elementa, vel ex elementis compoſita, materialiter operati fuerunt, nunquam potuerunt ad arcanum quod quærimus deuenire. Sed dices, cum omnia quæ ſunt corporalia in hoc mundo, & ad vſum corporis, ſint elementa vel ex elementis compoſita, ergo radix vitæ non

poteſt

potest ab hominibus in hoc mũdo vel seculo inueniri, quæ posit corpus viuificare vsq; ad vltimum vitæ terminum à Deo mortalibus præfixum. Ad quod fideliter respondemus, quòd oportet rem quęrere, quę sic se habeat respectu quatuor qualitatum, quibus compositum est corpus nostrum, sicut se habet cælum respectu quatuor elemẽtorum: Philosophi autem vocauerũt cęlũ quintã Essentiã respectu quatuor elementorum, quia in se cælum, est incorruptibile & immutabile & non recipiens peregrinas impressiones, nisi fieret iussu Dei. Sic & res quam quærimus est respectu quatuor qualitatũ corporis nostri: quinta Essentia, in se incorruptibilis sic facta, non calida sicca cum igne, nec humida frigida cum aqua, nec calida humida cum aere, nec frigida sicca cum terra: sed est Essentia quinta, valens ad contraria, sicut cælum incorruptibile: quod, quãdo necesse est, influit qualitatem humidam, aliquando calidã aliquando frigidam, aliquando siccam. Talis est radix vitę Essentia quinta, quã

creauit Altißimus in natura, vt poßit supplere necessitati corporis citra illum vltimum terminum, quem Deus constituit vitæ nostræ. Et dixi quòd quintam Essentiam creauit Altißimus, quę extrahitur de corpore naturæ creatæ à Deo cum artificio humano: & nominabo eã tribus nominibus suis à Philosophis sibi impositis. Vocatur Aqua ardens, Anima vini seu spiritus, & Aqua vitę: Et quando tu voles eam occultare, vocabis eam quintam Essentiam, quia hanc eius naturam & hoc nomen suũ summi Philosophi nemini pandere voluerunt sed secum veritatem sepeliri fecerunt: Et quòd non sit humida sicut elementũ aquæ, demonstratum est, quia comburitur, quòd aquæ elementari repugnat. Quòd nõ sit calida & humida sicut aer, declaratur, quia aer siccus quacunque re corrumpitur, sicut patet in generatione aranearum & muscarum: & ideo ista semper incorrupta manet, si clausa à volatu seruetur. Quòd non sit sicca & frigida sicut terra, demonstratur expresse: quia summè acuit, & summè calefacit.

Quòd

Quòd autem nõ ſit calida & ſicca ſicut ignis, demonſtratur ad oculum: quia calida infrigidat, & calidos morbos minuit & annullat, ſicut infra probabo. Quòd autem incorruptibilitati conferat, & à corruptibilitate præſeruet, demonſtrabo ex experientia aſſumpta: quoniam ſi quæcunque auis, aut carnis fruſtum, aut piſcis infundatur in ea, non corrũpetur quandiu permanebit in ea: quanto magis ergo carnem animatam & viuam corporis noſtri ab omni corruptione ſeruabit? Hęc quinta Eſſentia eſt cælum humanum, quod creauit Altiſsimus ad conſeruationem quatuor qualitatum corporis humani, ſicut cælum ad cõſeruationem totius vniuerſi. Et ſcito pro certo, quòd Philoſophi hodierni & medici ignorant omnino hãc quintam Eſſentiam & veritatem & virtutem eius: ſed ego, auxilio Dei, inferius reuelabo tibi magiſterium eius: & hucuſque docui te rem ſecretam, quintam Eſſentiam, id eſt cęlum humanum.

Indago solis ad influendum principium vitæ in nobis, & ad ornandum cælum nostrum.

Caput. III.

ET sicut cælum summum non influit solùm per se cõseruationem in mundo & influẽtias miras, sed per virtutem solis & aliarum stellarum: sic & cælum istud, quinta Essentia vult ornari sole mirabili, splendido & incorruptibili æquato: in quem solem non poßit etiam agere ipse ignis, vt ipsum corrumpat. Et dico tibi in charitate nõ ficta & conscientia bona, quòd iste sol illuminatus, splendidus, & incorruptibilis ab igne, qui influit incorruptibilitatem & radicem vitę eo modo quo est poßibile, vt supra explicaui in corpore nostro, qui est creatus ad ornatum cæli nostri, & ad augendum influentiã quintæ Essentiæ, potest capi manu, & constituit eum Rex gloriæ in potestate mortalium: Et ego propter charitatem Dei qui loquor Euangelicis viris, eum tibi nomine proprio & intelligibili reuelabo, & ipsum ęst aurum Dei, quod ex lapide Philosophorum componitur, &

totũ conuertit in nutrimẽtum: Illud verò quod in vena terræ vel de fluminib. collectum est, non conuertitur in nutrimentum, sed excernitur, prout sumitur. Et aurum alchimicum, quod est ex corrosiuis compositum, destruit naturam. Et ideo aurum lapidis vocatur aurum Dei: Sol quippe est filius solis cæli, ex quo componitur lapis Philosophorum. Generatur enim ab influxibus solis in visceribus terræ, & sibi sol ex influentia sua tribuit naturam & colorem & incorruptibilem substantiam, non simpliciter, sed comparatiuè: quanuis Bernarcus magnus aliter dicat in tractatu suo, quòd sol, id est aurum, non generatur ab influxu solis: sed appellatur sol, quia est eiusdem proprietatis: quia sicut sol in cælo dominatur alijs planetis in fulgendo vel influendo: sic aurum dominatur alijs metallis in proprietate sua in terra, quia maioris virtutis est, vt supra. Quinta ergo Essentia est de natura & calore cæli, & sol noster ornat cælum, & hæc duo coniuncta soli influent in nobis, Dicam enim tibi in ve-

ritate conditiones cæli, ſtellarum & ſolis cæleſtis, quoniam eſt impoſsibile in natura mortali conſeruationem vitæ & reſtauratione͂ deperditæ, & renouationem iuuentutis ſerenæ & ſanitatis optatæ dare cuipiam.

Indago ſtellarum noſtrarum ad ornatum cæli noſtri ad iuuandum influentiam noſtri cæli & ſolis, ad influendum primum principium vitæ in nobis. Cap. IIII.

SI teſte Solomone Eccleſiaſtis ca.2. cunctæ res difficiles ſunt, & non poteſt homo eas explicare ſermone: Inter omnia quæ creauit Deus mirabilia in hoc mundo & ſummè ſtupenda, & meritò admiranda, ſunt quædam ſpecies medicinales habentes virtutem attrahendi ſuperfluos humores ab vno membro & non ab alio, vt quòd hierapicra trahat humores à capite, collo, & pectore, & non ab vmbilico & infra, & aliæ quædam ab vmbilico infra, & non à ſuperiori regione membrorum: & quomodo & qualiter hoc fiat, eſt tam difficile etiam ſummis Philoſophis, vt

Ioannes

Ioannes Eben Meſue in libro ſuo de ſimp. Medicinis circa principium dicat quòd non eſt cauſa quærẽda, niſi quòd hoc habent à cælo, & quo modo & à qua parte cæli, aſsignare neſciunt: & tamen tantus & talis fuit, vt medici eum clament Euangeliſtam ſuum. Et illi qui in veritate intelligunt per incomprehẽſibile lumen Dei cauſam rerum mirandarum, quas mundani Philoſophi neſcierunt, à ſequacibus eorum inanes & phantaſtici reputantur. Sed quia cuicũque falſæ infamiæ eſt veritas prȩponenda, inquiram naturam ſtellarum neceſſariarum ad ornatum cæli noſtri, vt augmentetur influxus quintæ Eſſentiæ iã quæſitæ, & ſolis eius ſuperius indagati, quantum augmentatur influxus cȩli & ſolis per influẽtiam aliarum ſtellarum. Et ſcito, quòd vniuerſæ ſtellæ cæli habent ſuam influentiam ſingularem ex iuſſu & ordinatione Dei, & quælibet ſtella ſuam proprietatem habet ſuper rem determinatam & certam: vt ſtella poli ſuper Adamantem & ferrum: & ſtatus Lunȩ ſuper aquam maris, Sol ſuper

aurũ:Luna ſuper argentũ:imagines ho minum cęli ſuper corpora humana:imago arietis cęli ſuper arietes terreſtres & caput hominis. Et ſicut carpentarius cum dolabra in manu fabricans arcas, non minus fabricat eas quàm ſi abſque dolabra fabricaret:ſic nec Deus minus gubernat mundum:ſic dedit talem influxum ſtellis, vt influant in rebus ſicut & quomodo ipſe vult, & non vltra. Et tene in corde tuo, quòd inter ſtellas & imagines cæli ex parte vna, & res terrenas ſuper quas ſingulariter influunt, eſt tantus amoris nexus, vt Ariſtot. dixerit, quòd citius cælũ rumperetur, quàm in iſtis inferioribus natura rupturam vacui præſtaret. Ego enim reuelabo iſtum influxum & ligamen amoris inter corpora cæleſtia, & res quæ ſunt eis correſpondentes in terra. Conſidera & vide quomodo nauigantes maris affigentes acum cum lapide magnetis faciunt eam verti contra ſtellam poli. Vnde hoc habet acus, vt vertatur contra illam ſtellam ſemper & ſine defectu, & ad locum alium non vertatur? Sine dubio

bio hoc est, quia tam ferrum, quàm magnes iussu & imperio Dei per influxum illius stellæ generantur in terra, & habent in se naturam & influxum & proprietatem stellæ: & ideo tanquam ad suum simile acus semper vertitur ad illam. Vnde est quòd quãdocunq; luna oritur, semper & sine defectu incipit influxus maris ascẽdere: & quãdo peruenit luna ad mediũ cęli, incipit descendere: & quando peruenit luna ad occiduũ incipit iterum ascendere, donec veniat luna ad angulum terræ, vbi incipit descendere, donec luna iterum oriatur. Et secundum ista puncta lunæ semper bis in die fit influxus & refluxus: & tamen hoc non fit nisi quando peruenit luna ad puncta cæli superius memorata. Quia ergo fluxus & refluxus sequuntur lunam & non solem, probatur quòd luna singulariter influit super aquam: ideo aqua eam sequitur liga inuisibili. Sicut homo liga, seu fœdere inuisibili, sequitur naturaliter mulierem quam amat, & famelicus consurgit ad cibum, & sitiens ad potum; ita ad propositum

applicãdo, infallibiliter dico, quòd stellæ quæ habent influentiam super caput & collum ac pectus hominũ, sicut sunt stellę arietis, tauri & geminorum, influunt singula super hierampicram: ideo habet vim singularem imperio creãtis Dei ad trahendum humores à capite, collo, & pectore, & non ab inferioribus membris: & ita dico de speciebus quæ attrahunt humores à genubus, tibijs, & pedibus, quæ recipiunt singularem influxum à stellis capricorni, aquarij, & piscis: & ita de alijs est dicendum. Ergo si cum quinta Essentia & sole uis curare caput tuum infirmum, quintæ Essentiæ & solis eius augmentabis influxum cũ stellis nostris, quæ sunt generatæ in influxu stellarum signi arietis, sicut hierapicra, & similes, quæ conferunt capiti: & ita de membris alijs est dicendum. Et tunc cum Sole nostro & stellis terrenis facies operationem Dei rectè, & in eius virtute miracula super terram, sicut inferius te docebo.

Cap.

Cap. V. primi libri qualiter quinta Essentia ex sole et stellis ornetur, & eius mirabilis influentia in sanitate vitæ augeatur magisterio operationis indago prima.

NOn reputes me mendacium protulisse, quia nominaui quintam Essentiam aquam ardentem: & dixi quòd nemo hodiernorum Philosophorum & medicorum peruenit ad eam, cum aqua ardens communiter inueniatur vbique: quia verum dixi pro certo. Nam magisterium quintæ Essentiæ est occultum: & non vidi nisi vnum comprobatissimum theologum, qui intelligeret quicquam ex secreto & magisterio eius: & assero provero quòd quinta Essentia est aqua ardens & non est aqua ardens. Et Deus cæli ponat prudẽtiam in corde Euangelicorum virorũ, pro quibus fabrico librum istum, vt nõ communicent cum reprobis hoc venerandum Dei arcanum. Ecce modò aperio tibi veritatem. Non accipies vinum nimis aquosum, nec vinum nigrũ, terrestre, insipidum: sed vinum nobile,

iocundum, saporosum, & odoriferum, melius quàm inueniri possit: & distilla eum in canonibus totiens, donec feceris meliorem aquam ardētem quam scias facere, vt puta à tribus vicibus vsque septies eam distilles: & hæc est aqua ardens, ad quam hodierni medici non peruenerunt. Hæc aqua est materia de qua extrahitur quinta Essentia, quam intendimus principaliter in hoc libro: Quia postquam tuam nobilem aquam habueris, fabricari facies in furno vitreariorum vnum distillatorium tale: totum integrum, ex vna pecia cum vno solo foramine superius, per quod ponetur & extrahetur aqua: Vides enim sic mirificè instrumeutum formatum, vt illud quod virtute ignis ascendit & distillatur in vas per canales brachiales, iterum reportetur, vt iterum ascendat, & iterum descendat continuè die ac nocte, donec aqua ardens in quintam Essentiam per Dei voluntatem cælitus conuertatur. Et est intellectus operationis in hoc: quoniam melior aqua ardens quæ possit operatione

tione communi vulgi fieri, habet adhuc mistionem materialem quatuor elementorum. Et ideo est ingeniatum ita diuino spiraculo quòd per continuas ascensiones & descensiones separetur quinta Essentia, quam quærimus, à corruptibili compositione quatuor elementorum. Et hoc fit quia istud quod secundo & sæpe sublimatur, est magis subtile & glorificatum, & à corruptione quatuor elemẽtorum separatum, quàm quando solùm vna vice ascendit: & sic vsq; ad mille vices, & per continuum ascensum & descensum quod sublimatur, ad tantam altitudinem glorificationis venit, vt sit compositum incorruptibile ferè sicut cælum, & de natura cæli, & ideo quinta Essentia appellatur: quia ita se habet ratione corporis nostri, sicut cęlum ratione totius mundi: ferè eo modo quo artificium potest imitari naturam, quasi per quoddam simile valde propinquum & connaturale.

PRACTICA QVOMODO QVINta *Essentia fit & fieri poßit sine igne, quæ non est subiecta corruptioni quatuor elementorum, & quæ non est calida, nec frigida, nec humida, nec sicca, sicut sunt quatuor elementa: sed sicut cælum ex stellis ornatur suis.*

Cap. VI.

FActa igitur per multos dies in vase circulationis superius descripto circulari distillatione, aperies foramen vasis quod est in capite, quod quidem sigillatum fuisse supponitur cum sigillo composito ex luto Sapientiæ, facto ex farina subtilissima & albumine oui, & ex papyro humida diligentissimè carminata & mista, ne vllo modo vnquam respirare possit: & cum foramen aperueris, si odor, qui supermirabilis esse debet, ita quòd nulla mundana fragrantia ei valeat adæquari, qui videbitur descẽdisse quasi de sublimitate gloriosissimi Dei, intantum quòd si fuerit vas positũ in angulo domus, ex fragrantia quintæ Essentiæ (quod mirabile & summè miraculosum est) attrahat ad se vinculo inuisibili

inuisibili vniuersos intrantes: Tunc habes quintam Essentiam quam audiuisti ad quam nulli hodiernorum Philosophorum & medicorum (quòd potuerim scire) peruenerunt, nisi ille quem excepi supra. Quòd si non inueneris odorem & influxum attractionis hominum sicut dixi, sigilla vas sicut prius & reduc ad calorem superius descriptum, vt per sublimationes & circulationem ipsius vasis mirifici, peruenias ad optatum. Et vt hanc quintam Essentiam sic glorificatam inuenias in odorem inæstimabilis fragrantiæ & odoris mirificè glorificati & influxum attractionis supra expressum, & non solùm vt mirificè redoleat, sed etiam ad quandam incorruptibilitatem plenius se reducat, non habebit illum ardorem in ore tuo quem habet aqua ardens, nec illam humiditatem id est talem aqueitatem fluentem: quoniã acutus ardor aquæ ardentis & eius aquea humiditas, per sublimationes & circulationes penitus corrumpitur, & terreitas remanebit separata in fundo. Et tam cælum quàm stellæ ex quibus

hæc nostra quinta Essentia est composita ex materia & forma, non sunt sicut illa quæ est composita ex quatuor elementis: sed est ibi materia valde modica, glorificata in tantum vsque ad summum nobili forma impleta, vt potentia materiæ ad vllam formam aliam aspirare non possit: & sic remanet incorrupta donec iussu creatoris compositio destruatur. Nec quinta Essentia, quam quærimus, ad incorruptionem cæli omnino reducitur, sicut nec artificiũ adæquatur naturæ: sed tamen incorruptibilis est respectu compositionis factæ ex quatuor elementis: Quoniam si esset omnino incorruptibilis sicut cælum, perpetuaret omnino corpus nostrũ, quod fieri prohibet conditor naturæ nostræ Dominus Iesus Christus. Iam multum aperui tibi de secreto, ad gloriam immortalis Dei.

Scientia ingeniationis ignis ſine igne, vt facias quintam Eſſentiam ſine expenſis & labore, & ſine occupatione, & temporis perditione.
Caput VII.

ET quia intendimus conſolari in hoc noſtro libro pauperes Euangelicos viros, vt orationem in hoc labore non perdant, nec in præparatione eiusmodi occupentur, proferam eis de ventre ſecretorum theſaurorum naturæ rem verè miram & venerandam: Videlicet calorem ſine igne, & ſine carbone, vt in eo noſtra quinta Eſſentia generetur. Creauit ſapientiſsimus orbis conditor duas res inter alias ad hoc aptas: quoniam recipies ventrem equi valde bene digeſtum, Volo dicere homo Dei, fimum optimum equi, & piſtabis eum infra aliquod vas vel foueam factam in terra linitam per totum, factam ex cineribus, & in medio fimi bene piſtati, collocabis vas diſtillatorium circulationis vſque ad medium, vel plus: quia neceſſe eſt, quòd totum caput vaſis in aere frigido remaneat collocatum

vt illud quod per virtutem caloris fimi aſcendit, ibi iterum virtute frigoris aeris conuertatur in aquam, & cadat, & iterum aſcendat. Et ſic ſine expenſis habes ignem ſine igne, & circulationem continuam quintæ Eſſentiæ, ſine magno labore. Ex ſuperabundanti etiam indicabo tibi calorē ſine igne ſimilem primo: vt accipias vindemiam ex torculari expreſſam, & fac per omnia ſicut de ventre equi ſuperius docui: quia calorē habet mirabilem & diuinum. Et tertiò docebo te iterum calorem Dei: vt in æſtate vas circulationis ſigillatum, ad reuerberationem fortem ſolis colloces, et nocte ac die ſine tuo labore pauſare dimittas.

Scientia acquiſitionis aquæ ardentis ſine magnis expenſis pro Euangelicis viris, qui pecuniam non habent. Cap. VIII.

CONcreauit Altiſsimus non ſolùm in aqua ardente quintam Eſſentiam, ſed etiam in omni re mirabilem, durabilem, cæleſtem habens virtutem. aperias, rogo te, intellectum, vt intelligas veritatem: quoniam res corruptibiles

ptibiles

ptibiles statim corrumpuntur, nisi iugiter ordinatione creatoris ab illa quinta Essentia seruarētur: Extrahe ergo aquā ardentem à vino, quia cum aqua ardente quinta Essentia extrahitur: & quod in vase distillationis remanet, non est vinum. Et ideo nota, quòd quando vinū transmutatur in acetum, hoc fit quando quinta Essentia inuisibiliter euaporando à dolio, exit: & quinta Essentia recedente, vinum conuertitur in acetum. Ergo in omni vino puro, excepto acetoso quantumcunque putrido, vel turbato, vel fœtido quinta Essentia reseruatur: Et verum est pro certo. Cuius plena demonstratio est: quia pone in vasis distillationis vinum quod fuit bonum, sed nunc turbidum vel putridum, sine omni dubio ex eo aquā ardentem & optimam distillabis. Ergo summa cautela est Euangelicis viris pro hoc magisterio, talia vina, quæ perdita sunt, quęrere quasi pro nihilo, & inde nostrum diuinum magisterium extrahere. Nota bene quod dico, vinum turbidum & putrefactum ex putrefactione cuiusdam

humoris aquei sic vinum corrumpentis febrili passione. Quinta autem Essentia, quia in se incorruptibilis est per naturam, per illam corruptionem vini nõ corrũpitur, sed solùm absorbetur à maiori quantitate corrupta. Ergo secretum magisterij est, vt quintam Essentiam incorruptam à vino corrupto per sublimationem extrahas, & putrefactionem quatuor elementorum vini quasi fæces in fundo vasis relinquas. & cum operationes eius sine expensis intellexeris, Deum vtiq; laudabis.

Scientia diuersitatis habendi quintam Essentiam, & quomodo perfectius habetur secundum gradus faciles & difficiles, & secundum magis & minus Cap. IX.

MOdus primus & omnium principalis est ille, qui est iã superius reuelatus cui non est par. Secundus modus est talis: recipe nobiliorem aquam ardentem, & quam fortiorem poteris habere, & pone in amphoram vitream cum longo valde collo, & claude ostium valde fortiter cum cera, & sit

dimidia vel tertia pars plena, deinde sepelias eam totã in ventre equi præparati, vt supra, versam tamen, ita quòd collum cum cera sit inferius & fundum superius, vt virtute caloris fimi equini quinta Essentia superius versus fundũ amphoræ ita reuolutum ascendat, & crassities materiei ad collum infra descendat: & cum post multos dies eam extrahere voles, extrahe suauiter eleuãdo amphoram sicut stat, & videbis spissitudinem & claritatem, & differentiam inter quintam Essentiam sublimatam & materiam crassam, quæ residet in collo: Magisterium autem separationis vnius ab alio mirabile & ingeniosum, est istud: recipe stylum ferreum acutum & infige in cera quæ in porta amphoræ pendet contra terram, & perfora vsque ad aquam: quũ verò perforaueris extrahe stylũ, & exibit primo illa aqua terrestris, quæ est in collo amphoræ, donec egressa tota fuerit vsque ad diuisionem quam notasti inter eam & eleuatã quintam Essentiam: & cum aqua terrestris exierit, & videbis quintam Essentiam

velle defluere, appone velociter super foramen digitum, & verte amphoram, & habebis in ea quintam Essentiam, & aquam terrestrem extractam ad partẽ. & est maximum magisterium istud, & ex secretis secretißimorum secretorũ. Et non peruenit illa quinta Essentia ad valorem primæ: sed est nobilis valde. Vtere illa discretè, quia maxima virtus est in illa, quam quæris. Tertius modus est, vt accipias amphoram magnã vitreatam, & ponatur bene sigillata in ventre equi tota penitus consepulta: & eleuabitur puritas quintæ Essentiæ, & crassum remanebit in fundo: extrahe suauiter quod natat, & reduc residuum ad ignem. Quartus modus est, vt accipias vas quodcunque de vitro vel de terra fortißimè vitreata quod modicũ valebit, & desuper colloca vnum rotundum pedem vitri cũ tibia, & sigilla vas cum suo coopertorio, & virga pedis vitri infra vas pẽdeat aut in aere, vt quod ascendit ad modum olei bullientis ad coopertorium per pedem vitri, descendat iterum ad intestina vasis: Et illud in

strumentum

ſtrumentum potes facere vbiq; & ſine tædioſis expenſis: & ſupplementum eſt tamen vaſis circulationis ſuperius deſcripti: quia non ſemper illud haberi poteſt. Quintus modus eſt, vt ſaltem aqua ſit à tribus vicibus vſq; ad ſeptem vices diſtillata, & in ventre equi continuè digeſta. Sextus modus eſt, vt ſaltem meliorem habeas aquam ſimplicẽ ſemel diſtillatam, vel bis, quam poteris habere. Septimus modus eſt, vt accipias aquam quancũq; ad manum inuenies, dum tamen ardeat: quia ſupra modum omnes valent, ſicut infra vbertim declarabimus.

Canon in ſecreto extractionis quintæ Eſſentiæ ab omnibus alijs rebus, & ſcientia in extractione quintæ Eſſentiæ à ſanguine humano, carnibus & ouis. Cap. X.

SI audiuiſti quod tibi ſuperius ex ſecretis maximis reuelaui, cum dixi, quòd in omni re quinta Eſſẽtia eſt, & remanet incorrupta, maximum erit tibi ſi docuero ipſam extrahere à ſanguine humano, & à carnibus omnium

animalium, & ab ouis, & à similibus rebus. Quoniam cum sanguis humanus sit perfectũ opus naturæ in nobis quantum ad augmentum deperditum, certũ est, quòd natura illam quintam Essentiam sic perficit & perficit, vt sine alia pręparatione ex venis transferat ipsum sanguinem immediatè in carnem: & hanc quintam Essentiam tam propriam naturæ maximum est haberi: quia in ea est virtus mirabilis cęli stellati nostri: & ad curam naturæ diuinissima operatur miracula, sicut infra docebo. Recipe ergo à barbitonsoribus ex omnibus iuuenibus sanguineis vel cholericis sanguinem assumptum vt poteris ab eis qui vinis bonis vtuntur, & abiecta aqua siue phlęgmate post repausationē, pista illũ cum decima parte sui salis communis præparati ad hominum medicinas, & misce, & pone in amphoram vitreatam quam diligenter sigilla, & repone eam infra ventrem equi præparati, vt supra, & remuta fimum semel in hebdomada vel plus, vt fortior sit calor, & dimitte putręfieri donec totus sanguis conuer-
tatur

tatur in aquam: quod fiat ad plus in 30, vel 40, diebus, vel aliter secundum plus & minus: tunc pone in alembico, & distilla ad calorem vel ignē bonum quicquid ascendere poterit, & aquam illam pluries super fæces tritas repone, miscē do super marmore, & postea distilla, pluribus vicibus iterando: Et cum nobilem aquam sanguinis habueris, vt ex illa quintam Essentiam extrahas: repone aquam in distillatorio circulationis, donec eam ducas ad tantam fragrantiā sicut aquam ardentem superius fecisti. & hæc est quinta Essētia, diuina & miraculosa supra quàm credi possit. Si vis verò extrahere quintam Essentiam à caponibus, & gallinis, & ouis, tere carnes vel oua trituratione fortissima in mortario, cum sui parte decima salis cōmunis præparati ad hominum medicinas, vt dixi supra: pone deinde in vētre equi donec conuertatur in aquam: distilla vt supra in distillatorio circulationis. Aquam deinceps distillatam repone donec ad fragrātiam vt supra ante dictam reducatur.

Scientia quintæ Essentiæ extrahendæ à fructibus, radicibus, herbis, & folijs. Cap. XI.

ET est vnum ex secretis naturæ extractio quintæ Essentiæ ab omnibus comestibilibus quæ nascuntur in terra: Et modus est idem, vt supra in alijs: Vt conteras omnes fructus & radices & herbas, quas volueris, cũ decima parte sui salis communis præparati ad hominum medicinas, vt dixi: putrefac, distilla, & circula vt supra, donec habeant suauitatem odoris, & iusto imperio Christi, obtinebis optatum: & incomprehensibile secretum tibi aperui in hoc loco: quare lætabundus gesties nimium: quoniam cùm fructus & herbæ quædam sint frigidæ, quædam calidæ, quædam siccæ, quædam humidæ, quædam temperatæ, quędam lassatiuę, quædam stipticæ: Similiter & de fructibus vti de herbis dico: ex his quinta Essentia extracta tanta & talis erit, vt in ictu oculi effectus stupẽdissimos, & qui credũtur impossibiles, operetur. Quis quæso, effectus in laxatiuis esset si quin

ta

ta Essentia ab helleboro extraheretur: nullo modo effectus arcanorum posset explicari. Et nota quòd si aliqua herba vel fructus per se talem virtutem habet quum illam habeat ab Essentia quinta illa verò quinta Essentia cum fuerit, vt diximus, depurata ad plenum, in centuplo plus virtutem illam habebit, quia fæces compositionis quatuor elementorum quintam Essentiam eis immersam secundum suum posse operari non sinunt. Nos autem in magisterio extractionis quintæ Essentiæ nil ei conferimus, nil damus, sed superflua resecamus ab ea, & impedimenta materialia & corruptibilia remouemus.

Scientia extrahendi quatuor elementa à qualibet re, quolibet per se ex omnibus prædictis, & postea quintam Essentiam. Cap. XII.

NOn prętermittam pro modico reuelare secretum qualiter poteris extrahere quatuor elementa ex omnibus prædictis, & quodlibet per se & ad partem monstrare: & postea quintam Essentiam à quolibet elemẽto. Mo

dus est iste: Recipe rem putrefactam & in aquam reductam quancunq; volueris, sicut supra est dictum: & sit illa res de qua volueris quatuor elementa extrahere sicut sanguis humanus ad aquã reductus: Pone igitur illam aquam seu sanguinem putrefactum in distillatorio de vitro, & ipsum colloca infra ollam aquæ, & da ignem subtus donec distilletur aqua ex sanguine per fistulam alembici: Et illam aquam recipe in amphoram vitream valde mundam: & cum nihil plus per illum ignem seu calorẽ poterit ascendere, pro certo habebis ex sanguine tantùm extractum elemẽtum aquæ: Quoniam ignis balnei illius nullam vim habet ad sublimandum aerem vel ignem, vel terram: & ita illa tria elementa in fundo distillatorij remanserunt. Accipe iterum aquam extractam, & repone in vase super illa tria elementa, & repone in eodem balneo per septem dies, & bene misceantur ibi, taliterq; claude, vt nihil distilletur: post verò septem dies accipe distillatorium, & pone eum ad ignem seu calorẽ cineris,

qui est

qui est fortior quàm ignis seu calor balnei Mariæ: & ascendet aqua in forma olei splendidi, aureati: Et postquàm nil amplius ascendit, habes in ampulla duo elementa, scilicet, aquam & aerem: & vnum ab alio separabis in balneo reponendo, vbi tantùm aqua clara ascendet, & solus aer remanebit in similitudinem aurei olei, in fundo vasis: quod oleum, scilicet aerem, repone ad partem: deinde remanet adhuc ignis cũ terra. Ad separandum verò ignem à terra pone elementum aquæ, quatuor libras aquæ super vnam libram materiei: & pone per septem dies vel octo, ad bene se incorporandum, vt supra in balneo Mariæ: Postea ad ignem flammæ fortem, & ascendet aqua rubea, quam collige quandiu aliquid ascendet: & remanebit tibi aqua nigerrima in fundo, quam collige ad partem, deinde aquam rubicundissimam accipies: quare tibi sunt duo elementa, scilicet aqua & ignis, & pone in distillatorio ad ignem, seu calorem balnei, & ascendet aqua clara, & remanebit in fundo oleũ rubeum, quod

est elementum ignis. Et ita habes elementum primum, id est aerem ad partẽ & aquam, & ignem, & terram. Et nota quòd elementum aquæ reponitur ad extrahendum à terra ignem & aerem, quia non ascenderent nisi adiutorio elementi aquæ: reduc quodlibet in quintã Essentiam cum vase circulationis, vt prius: vel rectifica vnum faciendo ascendere septies per aludel: sed prius oportet terram nigerrimam calcinare vno & viginti diebus in furno vitreariorum, vel reuerberationis. Et propter causam hanc, de hac scientia amplius non loquar: sed glorifica Deum in his quæ audiuisti, me præmonstrante.

Canon in secreto magisterij fixionis solis in cælo nostro id est in quinta Essentia, vt luceat in ea, & per assumptionem eius fulgeat in corpore nostro: sed primò declarantur proprietates auri, & cur dicatur sol. Cap. XIII.

IAm est tempus vt ornemus cælum nostrum, scilicet quintam Essentiam, videlicet vt figamus in ea cælum nostrum id est aurum & proprietatẽ auri, vt ge-

vt generet clarisſimũ diem totius vitæ noſtrę ſaniſſimum & validiſſimum, vſq; ad ultimum terminum vitæ nobis conſtitutum à Deo, qui ſine noctibus mortis præteriri non poteſt. Maximum eſt poſſe figere noſtrum ſolem in cælo. Et nota quòd quinta Eſſentia ſuperius iam quæſita ita ſubtilis eſt, & ad tantam ſpecialitatem vel ſpiritualitatem & glorificationem reducta, vt ex ſui acuitate, id eſt actione, ſemper ſurſum tendat: & ideo oportet eam ligari & ſigillari in vaſis vitreis non poroſis, ne effugiat manus noſtras. Sol autem noſter ſe habet è contrario: nam tantæ impaſsibilitatis eſt & ſoliditatis tam miræ, vt ignis cum toto ſuo ingenio eum deuaſtare non poſsit, nec facere euaporari: imò (quanuis incredibile appareat) non deuaſtaretur etiamſi omnia ingenia apponerẽtur, ſicut eſt ingenium cineritij, in quo omnia metalla penitus deſtruuntur, auro & argento exceptis: Et ſi cementum regale apponatur quod fortiſsimum fit ex ſale, latere antiquo, ſulfure, & ammoniaco: in quo argentum pretioſius mũ-

di statim euanescit in fumum: tamē ibi amplius vigoratur aurum & etiam depuratur: hoc inest sibi ab excelso Deo, qui sic creauit illud in materia prima glorificatum, & in forma dignificatum: vt forma tanto amore sit ligata materiæ & materia sic vnita formæ, vt abinuicē virtute ignis nec corrumpi nec separari possint. Et etiam dixi tibi quòd Deus gloriæ, per influxum septem planetarū disposuit septem metalla in visceribus terræ. Per Saturnum disponitur plumbum: & quia plumbum habet proprietatem Saturni, ideo plumbum vocatur Saturnus. Per Iouem disponitur stannū quia habet proprietatem Iouis, ideo stānum Iupiter appellatur. Per Martem disponitur ferrum, quia Martis habet proprietatem, ideo ferrum vocamus Martem. Per Solem qui est res nobilior omnium planetarum, quia aurū habet proprietatem Solis, ideo ipsum vocamus Solem. Per Mercurium disponitur argentum viuum, & quia argentum viuum habet proprietates Mercurij, ideo ipsum, Mercurium appellamus. Per Lu

nam

nam dispon itur argentum, & quia habet proprietatem Lunæ, ideo argẽtum nominatur Luna. Per Venerẽ disponitur cuprum, & quia habet proprietates Veneris, ideo ipsum appellamus Venerem. Cum ergo aurum disponatur à Sole & habeat proprietates Solis, & Sol influat radios, lumen, & calorem, quæ tria sunt principia naturalia vegetabiliũ & vitæ animalis: certè hoc idem habet aurũ Dei, nõ autem aurũ hominis id est alchimiæ. Et nunc hora est vt pandam tibi qualiter influxus radiorum auri nostri scilicet Solis, infigatur in cælo, id est in quinta Essentia superius quæsita, nec non & lux eius & calor & incorruptibilitas & bonitas omnium proprietatum illius ad viuiuificandum corpus nostrum, & ipsum vsque ad vltimum terminum nobis constitutum à Deo in sanitate præseruandum.

Scientia vera in vero magisterio figendi Solem in cælo nostro.
Cap. XIIII.

OPus magisterij fixionis in cælo est, vt accipias aurum Dei per cementum purgatum, si potes tale aurũ habere: vel si es nimis pauper, accipe florenos approbatissimos de Florẽtia, & fac ex eis laminas tenues, & pone eas ad ignem, & eas ignias super pallam ferream vt igniantur sicut ignitur ferrũ: & habeas iuxta te vas terreum vitriatũ optimæ aquæ ardentis impletum, & laminas auri ignitas proijce in aquam ardentem, & habeas ingenium ad extinguendum subito ignem vt non vastetur aqua: & caue vt nullum ferrum tangat aquam, sed à longè proijce aureas laminas intus, & fac hæc quinquaginta vicibus vel plus, quia quanto plus, tanto melius erit. Nota istud quod dixi tibi modò, & si videris aquã ardentẽ minui muta illã & accipe aliam & postea aliã. Et cõpletis extinctionibus, omnes aquas cõiunges. Et scito pro certo quòd Deus creauit talem virtutem in aqua ar

dente

dente, quòd ex auro ignito extrahat omnes virtutes auri, & incorporat sibi & retinet radios, lumen, colorem, & qualitatem, incorruptibilitatem, durabilitatem, soliditatem, & omnes propietates Solis cælestis. Deinde aquam ardētem sic solificatam seu aurificatam misceas cum quinta Essentia, & vtere ea. Non enim audeas extinguere laminas aureas in Essentia quinta, quia perderes ea. Modò in veritate habes cælum incorruptibile, non simpliciter, sed Solem infixum in eo ad fortius influendum lumen vitæ, radios virtutum, conseruationem naturæ, & fixationem quintę Essentiæ.

Scientia qualiter fiat sine omni expensa, vt poßint habere quasi pro nihilo influxus huius Solis Euangelici viri. Cap. XV.

VIri Euangelici qui dicunt cum Petro, Aurum & argētum non est mihi, cum indigebunt virtute nostri optimi Solis, habebunt necesse rogare amicum diuitem vt mutuò tradat eis duos bonos florenos vel saltem vnū

bonum, & florenum ignient sicut est: et si habent aquam ardētem, quinquaginta vicibus in eam ipsum extinguant: & si aquam non habent, in bono vino albo nec nimis claro, nec nimis spisso, sed optimo, delectabili, odorifero, saporoso, & gratioso: quoniam vinum habet naturam recipiendi in se influentias & proprietates auri. & postquàm perfeceris opus tuum ad placitū, scito pro certo quòd floreni boni sunt sicut prius, & nobiles, & pulchri, æqui ponderis, vel quasi. Vtere ergo vino aurato, vel aqua aurea, vt lætus & sanus viuas, & etiam vt iuuenescas.

Scientia ad fortius & viuacius imprimendum virtutes Solis in cælo nostro. Cap. XVI.

ET in hoc decreui reuelare ingenium non solùm vt fortius quàm supra dixerim quòd proprietates Solis configantur in cælo: sed docebo te naturaliter & sine peccato incantare aurum & argentum, ita vt si teneatur, minimè cognoscatur: & valet ingeniū istud incantationis naturaliter ad aurū

&

& argentum per totum mundum sine timore dominorum & tyrannorũ portandum, & ad seruandum in toto tempore bellorum & tribulationum, & maximè tẽpore Antichristi. Creauit sublimis Deus aurum sic incorruptibile, vt vi cuiuscunq; ignis non perdat suum esse nec calorem nec virtutem: & tamen est vna res quæ statim conuertit ipsum in terram. Et magisterium huius secreti est tale: Recipe aurum, & lima ipsum bene, & accipe crucibulum cũ bona quantitate argenti viui, & pone ipsum ad paruum ignem sic vt non vaporet, & pone intus limaturam auri quam moueas miscendo cum argento viuo, & post modicum tempus totum aurum inuenies infra argentum viuum conuersum in farinam seu terram (debẽt poni pro quolibet denario auri denarij septem argẽti viui si hoc debet fieri bene: & de argẽto si volueris facere, necesse est vt ponas de arg. viuo triplum: videlicet pro quolibet denario arg. denarios 21. arg. viui: & hoc propter eius duritiẽ) postea ad bonum ignem pone, vt argentum vi

uum recedat: vel diſtilla eum & collige, ponendo deſuper alembicum, & in crū cibulo aurum inuenies calcinatum, & reductum in terram. Vel ſi non potes limare, fac tenuiſsimas laminas quā ſubtilius valebis, & pone eas infra argentum viuum calidum, & habebis optatū. Et ſi vis hoc idem facere de argento, lima ipſum, & miſce ſuper lapidem cum argento viuo & argento viuo ſublimato, & bona quantitate vitrioli Romani & claude cum luto Sapiētiæ inter duas teſtas bene iunctas, & pone inter carbones quaſi per vnum diem vel medium vel minus, & ipſum inuenies reductum in calcem. has calces porta per mūdum publicè, & neminem inuenies qui argētum & aurum cognoſcat. Et ſi vis calces occultare omnino, miſce eas cum pice liquida, vel cera, vel gūmi, vel cum omni re combuſtibili, & non cognoſcetur ab homine huius mundi: ſed erunt homines videntes naturaliter, vt incātati. Et ſi vis hanc incantationem omnino ſoluere, pone calcem auri in cineritio, & verum aurum vt prius inuenies. Idē

fac de

fac de argento. Ad propositum nostrũ, si vis nobilissimè deaurare aquam ardẽtem vel vinum: recipe calcem auri quã facere docui, & supra pallam ferream, sed melius est in cochleari argenteo, pone ad igniendum, quam extingue in aqua ardente vel vino, sicut supra dixi quinquaginta vicibus, & habebis liquorem tuum centies deauratum magis quàm per laminas haberes: cuius ratio est, quia ignis melius & fortius agit in partibus auri subtilissimis, quàm in laminis solidis atq; duris. Et aqua ardens vel vinum etiam in millecuplo facilius extrahit auri proprietates ab ignitis partibus minutissimis, quàm à laminis crassis, quia minus partes auri minutæ resistunt tam igni quàm liquori. Et scito quòd vinum non solùm retinet proprietates auri, sed multo fortius metallorum omnium: Nam si extinguas plumbum septies in vino vel in aqua cõmuni liquefactum, & in illo vino vel aqua postea ferrum extinguas pluribus vicibus, ferrum attrahet molliciem plumbi omnino: & idem faciet cuprum, & aliud

metallum: Vel si in vino albo pluribus vicibus ferrum extinguas, postea in eo pluribus vicibus plumbum fusum projeceris, plumbum inuenies sine dubio induratum. Ergo si proprietates metallorum omnium imprimuntur in vino, multò fortius in aqua ardente bona & preciosa.

Canon in fixione omnium terrestrium in cælo, vt influant in eo suas proprietates & occultas virtutes. Cap. XVII.

DEus cæli talem virtutem contulit quintæ Essentiæ, vt extrahat ab omni fructu, & ligno, & radice, & flore, & herba, & carne, & semine, & à qualibet rerum specie, & ex quacunque medicinali re, omnes virtutes & proprietates & naturas, & effectus, quos Deus gloriæ, conditor naturæ, creauit in eis: & infra tres horas, vel paulo plus operatur extractionem prædictam. Ego iam reuelaui tibi quomodo ab omnib. prædictis nostra quinta Essentia possit extrahi. Ergo omnes res necessarias ad omnem syrupum pone in aqua ardente, & infra tres horas illa aqua erit talis qua

lis ſyrupus, & melior in centuplo ratione quintæ Eſſentiæ, quam eſſet ſine ea. & etiam accipe omnes medicinas confortatiuas, & in centuplo infra quintam Eſſentiam multiplicabuntur ſeu confortabuntur omnes eorum actus. Sic etiam de medicinis laxatiuis, quoniam ſupra modum augetur diuina actio eis donata à Deo, ſicut te infra docebo. Nam ſi omnes ſpecies aromaticas odoriferas ſimul in quinta Eſſentia poſueris, flagrantiam habebis quàm exiſtimare non poteris. Idem de ſtipticis, idémque de rebus adſtrictiuis: ſi ſemina, flores, fructus, folia: ſi frigida, ſi calida, dulcia, amara, humida, ſicca: ſi bona, ſi mala infra quintam Eſſentiam infuderis, talem quintam Eſſentiam habebis. Ecce inſtrumentum eſt omnium virtutum rerum tranſmutabilium, & ſi ponantur in ea, auget in centuplo actionem eorum.

Canon ad reddendum quintam Eſſentiam calidam in quatuor gradibus caliditatis: & primò ſciendum quæ ſint res calidæ in primo gradu.

Cap. XVIII.

VNum mare ſcientiæ in notitia rerum medicinalium aperiam tibi in hoc loco: nam iſta ſunt calida in primo gradu ſecundum auctores medicinæ. de Herbis: abſinthium, borago, fumus terræ, althęa, eupatorium, camæmalon, ſtœchas, tribulus, coriandrum, cuſcuta, ozimũ, ſpicanardi vel celtica. de Seminibus: ſemen althęæ, trifolij, coriandri, atriplicis, ozimi, cuſcutæ. de Floribus, flos narciſsi, lilij, croci, camæmali. de Radicibus, radix iridis, ariſtolochię vtriuſq;, agarici. de Fructibus, amygdalæ dulces, mora matura, iuiubæ, & oliuæ maturæ, ficus, caſtaneæ, auellanę, cortex pomi citri &c. Frondes, folia lauri, caryophylli. de Granis, triticum, cicer album, oriza, orobus, lingua auis, cubebæ, cardamomum. de Gummis & ſuccis: lycium, ſarcocolla, laudanum, moſchus, ſtyrax. de Venis, nitrum. de

Carnibus

Carnibus, porcina, equina, camelina, pulina, caro hirci, passerum iuuenum, columbarum, anatum, anserum, fasianorum, piscium salsorum. Si ergo vnius vel plurium istorum quintam Essentiã cum cælo nostro miscere volueris, pone ex his quantum volueris in cęlo tuo & trahet in tres horas ad se quintam Essentiam cum omnibus virtutibus eius, & efficietur cælum tuum calidum in primo gradu plusquàm antea esset. O quã magna sciẽtia est ista, vt scias naturã rerũ comestibiliũ: vt intelligas quid debes comedere, quid vitare: quoniã si nimis es frigidus, vtaris istis quę sunt calida in primo gradu, excepto quòd debes vitare ea quæ tibi per laxationem nocerẽt: intellige quæ dico.

Scientia affixionis quintæ Essentiæ omnium rerum quæ sunt calidæ in secundo gradu, & illarum notitia. Cap. XIX.

SI propter infirmitatem prouenientem ex nimia frigiditate, non sufficit tibi cælum tuum in præcedenti canone factum calidum in primo gra-

du, extrahe quintam Essentiam ex his rebus quæ sunt inferius, quæ sunt calidæ in secundo gradu: de Herbis, poliũ, amomum, asphodelus, pastinaca, prassium, centaurea, cataputia, cyperus, sisymbrium, mẽtha, anetum, fœniculum, aloe. de Seminibus, semen apij, dauci, marathri, vrticę, aneti, fœnugræci, pastinacæ, sisymbrij, raphani, croci hortẽsis. de Floribus, flos croci hortensis, cotulę bulbi, asphodeli. de Radicib. radix apij fœniculi, capparis, acori, asari, pastinacę asphodeli, pęonię, cyperi. de Lignis, rhabarbarum, lignum aloes, xylobalsamũ, hebanũ, caryophylli, cortex thuris, tamarisci. de Frondibus, folia citri, tamaricis, senæ. de Fructibus, nux myristica, macer, amygdalæ amaræ, vuæ maturę, vuę passæ, fistici, ficus siccæ, dactyli, pineæ dulces, nuces. de Granis, cantabrum, cicer nigrum, lupini, faseoli, asparagi, grana citri. de Gũmis & succis, aloe, balsamum, mel, vinum, mastix, thus, myrrha, bdelium, lacca. de Venis, sal. de Superfluitatibus animaliũ, stercus, vrina, ambra & muscus. Aperias ergo oculos

tuos,

tuos, vt videas quibus rebus ex his indigebis ad magis tuum calefaciendũ corpus quàm per ea quæ posita sunt in scientia prima. non vtaris rebus, nisi prius scias quæ sunt, si quæ sunt venenosæ. Habes ergo scientiam vt efficias cælum nostrum calidum in secundo gradu cum omnibus suprapositis vel quibusuis ex eis & illis æquipollentibus.

Scientia affixionis omnium rerum calidarum in tertio gradu, & notitia earum. Cap. XX.

IN casu in quo infirmitas nimiæ frigidatis vigeret, & indigeres habere cælum nostrum calidum in tertio gradu affige in cælo quintam Essentiam rerũ calidarum in tertio gradu quæ inferius describuntur. Ex Herbis, inula, stœchas thymus, chamædrys, chamępitys, hyssopus, sampsucus, sambucus, mentastrum calamintha, pulegium, origanum, porrus, ruta domestica, apium, squinatum. de Seminibus, semen petroselini, ammeos, anisi, cardamomi, cardi, epithymi porri, cumini, sileris montani, rutæ domesticæ, erucæ. de Floribus, flos sam-

buci, squinanti. de Radicibus, radix inulæ, squinãti, menthæ, dictami, capparis, porri, hellebori vtriusq;, serpẽtariæ, zedoariæ, doronici, zingiberis, centaurij. de Lignis, gentiana, polypodium, cassia lignea, asari, turbit, galangæ, piper longum, cinamomum, costũ. de Frondib. folia oleandri, nucis, colocynthidis. de Fructibus, nux Indica, cataputia, cucumeres agrestes, colocynthis. de Granis lolium, piper longũ, staphisagria. de Gũmis ac succis, hyssopus, crocus, scamoniũ pix liquida, pix Græca, serapino, opopanarũ, asarũ, ammoniacũ, euphorbium, galbanum, gũmi iuniperi. de Venis salgemma, magnes, sal nitrum. de Membris animalium, mumia, castoreum. Cum his rebus caliditatem tertij gradus affiges in cælo tuo. Vtaris ergo in extractionibus quintæ Essentiæ ex rebus, cum fueris expertus earum virtutes.

Scientia

Scientia extractionis quintæ Eſſentiæ rerum calidarum in quarto gradu, vt affigas eas in cælo noſtro, ſi oportuerit. Cap. XXI.

REuelabo tibi res calidas in quarto gradu id eſt in ſummo, vt earum quintam Eſſentiam in cælo tuo affigas cum fuerit neceſſe. de Herbis, ruta ſylueſtris, naſturtium. de Seminibus, ſemen ſinapis, naſturtij, cęparum, rutæ agreſtis. de Lignis, tapſia, pyrethrum. de Fructibus, anacardi. de Granis, piper nigrum, baccæ lauri. de Venis, argentum viuum, ſulfur, calx, ſal ammoniacum, ſal nitrum, æs vſtum, flos æris, petroleon.

Canon & ſcientia in extractione quintæ Eſſentiæ à rebus frigidis in primo gradu, vt affigantur in cælo noſtro, Cap. XXII.

SIcut indicaui tibi qualiter te habeas in extractione quintæ Eſſentiæ ex rebus calidis ſecundum ordin quatuor graduum, eundem ordinem in extractione quintæ Eſſentiæ à rebus frigidis tibi pandam. Et primò in frigidis in primo gradu quę ſunt iſta: de Herbis, atriplex, mercurialis, oxalis, caules;

malua, ſcariola. de Seminibus, ſemẽ malluæ, plãtaginis, roſę, ſcariolæ, citrulli, melonis, cucurbitæ. de Floribus, flos roſarum, amygdalarum, malorum cydoniorum, ſalicis. de Frondibus, folia myrthi. de Fructibus, glandes omnes, myrobalani, tamarindi, caro pomi citrini, oliua acerba, poma coctana, pyra, ceraſa. de Granis, hordeum, fabæ virides & ſiccæ milium, panicum, myrthilli. de Succis, acacia, acetum. de Venis, bolus armenus cimolia, argilla, lateres, argentũ, cadmia argentea. de Carnibus, porcina, caprina bouina, ceruina, leporina, aſinina, mulina, aprina, caro coturnicum & piſcium recentium. Si ex his poſueris in noſtrã quintam Eſſentiam, noſtrum cælum in primo gradu infrigidabis, & tali cælo vti poteris in æſtate.

Scientia ad affigendum quintam Eſſentiam rerum frigidarum in ſecundo gradu in cælo noſtro Cap. XXIII.

QVando non ſufficiet tibi cælum noſtrum frigidum in primo gradu ad nimium calorem extinguendum, affiges in eo quintam Eſſentiam

ſentiam rerum frigidarum in ſecundo gradu, quas tibi nominabo in hoc loco. de Herbis, pentaphyllō, pſyllium, lactuca, farfara. Semen lactucę: flos violæ, nenufaris, fabæ, balauſtij vel cytimi. Radix mali granati, arnogloſſæ. Folia ſalicis. Mora immatura, ſorba, meſpila. Succus citrij pomi, perſica, cucumeres, cucurbita, melones, citrulli. Grana, ſumach, berberis, ſemē cydoniorum. Gūmi tragacanthi, gummi Arabici. hæmatites lapis, ceruſſa, lithargyron, alumen, plumbum, coraliū. Cum his reddes cælum noſtrum vt in corpore noſtro influat frigiditatem in ſecundo gradu. vtaris ſapienter, vt vites vitanda. Maxima ſcientia eſt enim vt ſi nimis es frigidus, hîc addiſcas quæ ſunt frigida nimis, & ſic nociua vitabis: ſi nimis es calidus, hîc habes quibus frigidis vti debes.

Scientia ad extrahendum quintam Essentiam rerum frigidarum in tertio gradu, & affigendum in cælo nostro. Cap. XXIIII.

TEmpus est vt reuelem tibi affixionem quintæ Essentiæ rerum frigidarũ in tertio gradu, quæ sunt istæ. Herbæ, virga pastoris, semperuiua vel aizon, portulaca, hypocistis, eorumq́ radices. Omnes sandali. Flos papaueris albi. poma mandragoræ. caphura, sanguis draconis, hypocistis. gypsum, spodium. Semen hyoscyami, papaueris nigri, cicutę. Antimonium, thutia seu põpholix. Hęc sunt quorum quinta Essentia affixa in cęlo nostro reddit ipsum frigidissimum in summo: quia in quarto gradu nulla res est à Philosophis in frigiditate constituta.

Scientia ad extrahendum quintam Essentiam à rebus siccis in primo gradu ad affigendum in cælo nostro. Cap. XXV.

EO quo supra ordine extractionem quintæ Essentiæ à rebus siccis ostẽdam, & primo in primo gradu. Chamæmalon, stœchas, semperuiua, caules

fœniculus,

fœniculus. Semen hyoſcyami, fænu Græci: Flos narciſsi, croci. Radix ireos, porri, zedoariæ: folia lilij. nux Indica, myrobalani, tamarindi, vuæ paſſæ, caricæ, oliuæ immaturæ & acerbæ, auellanæ. ordeum, fabæ ſiccæ, cubebæ, cardamomum, cnicos: cantabrum, amidum. moſchus, ſarcocolla, opiũ. bolus armenus cymolia, argilla. Caro caprina, bouina, ceruina, leporina, equina, aſinina, camelina, vrſina, vitulina, leonina, vrſina, turturis, perdicis, pauonis, iuuenum columborum. Hæ ſunt res quas infra cælum noſtrum mittes vt attrahat earũ quintam Eſſentiam, & ſic influat ſiccitatem in primo gradu in corpore noſtro cum fuerit neceſſe.

Scientia extrahendi quintam Eſſentiam à rebus in ſecundo gradu ad affigendum in cælo noſtro. Cap. XXVI.

HAE ſunt res ſiccæ in ſecundo gradu: abſinthium, fumus terræ, eupatorium, amomum, aſphodeli, virga paſtoris, cẽtaurium, pentaphyllõ, agnus, cataputia, cyperus, orobus, mentaſtrum, ſyſimbrium, mentha, anetum,

porrus, coriãdrum, oxalis, seris siue scariola, cassutha, ozimum, papyrus, carthamus, spica vtraq;. Semen apij, dauci, marathri, porri, trifolij, plãtaginis, aneti sysimbrij, coriandri, rosæ, ozimi, scariolæ, cuscutæ, citrulli, melonis, cucurbitæ, carthami. Flores, rosæ, croci hortensis, bulbi, cumini, asphodeli, balaustij. Radices apij, fœniculi, capparis, mali granati, acori, asari, aristolochiæ vtriusq;, scyllę, asphodeli, arnoglossę, pęonię, cyperi centaurij, agarici. Ligna, polypodium rhabarbarum, lignum aloes (perfectum cognosces si oblongum frustulum ab vno capite accendes, ac rectum velut candelam si teneas & flammam nõ perdat, nisi prius totum crescat ardens, inferius verò humorem emittit: saporẽ habet mordacem xyloaloes): Xylobalsamum (quod vix reperitur) ebanum, & guaiacum lignum, cinamomũ, omnes sandali, caryophylli, cortex thuris, tamariscus. Folia salicis, myrti, oleandri, tamarisci, oliuæ, citri. Glandes myrobalani citrini, cataputię, nux moschata, macer, amygdalæ amaræ, mora immatura,

& reli-

& reliqua quæ ab aliis authoribus enumerantur. Grana, milium, panicum, lolium, lupini, oryza, orobi, berberis, myrtilli: aloe, lycium, vinum, maſtix, thus, myrrha, ammoniacum, galbanum, lacca, balſamus qui amplius (niſi ſophiſticus) non reperitur, mel, hæmatites, gypſum, ceruſſa, lapis lazuli, lithargyrum, lateres, vitrum, coraliũ, caro piſcium ſalſorum, moſchus, ambra. Cum his ergo rebus affiges quintam Eſſentiam in cælo noſtro, vt influat in nobis ſiccitatem in ſecundo gradu cum fuerit neceſſe.

Scientia ad extrahendum quintam Eſſentia à rebus ſiccis in tertio gradu. Cap. XXVII.

POlypodiũ, ſeſeli, hypericon, chamędrys, chamæpitys, hypociſtis, hyſſopus, ſampſucus, calamintha, pulegium, origanum, ruta domeſtica, apiũ, ſchœnantum: ſemen, petroſelini, ammios, vrticæ, aniſi, cardamomi, cari, epithymi, nigellæ, cumini, ſileris montani, rutæ domeſticæ, raphani, erucæ. Flos, ſambuci. Radices, hyoſcyami, dictanni capparis, hellebori vtriuſque, ſerpentarię

doronici, gẽtiana, tapſia, virga paſtoris, caſſia lignea, turbith, galanga, piper lõgũ, coſtũ. Folia, lapullæ. Fructus, gallæ, cucumeres agreſtes, cappares. Grana, baccæ lauri, ſtaphiſagria, ſumac. Gummi & ſucci, acacia, ſcammonia, acetum, & omnis pix, ſagapenon, opopanax, aſa, euphorbium, gummi iuniperi. Magnes, ferrugo, ſpodium, ſapo, ſal gemma ſal commune, nitrum, aſphaltum, mumia. Caſtoreum. Cum quinta Eſſentia igitur harum rerum cælum noſtrum influit ſiccitatem in corpore noſtro in tertio gradu.

Scientia ad affigendum in cælo noſtro quintam Eſſentiam rerum ſiccarum in quarto gradu vt influant in nobis ſi fuerit neceſſe.
Cap. XXVIII.

CVM igitur erimus humidi ſupra modum, ecce res ſiccas in quarto gradu. Ruta agreſtis, naſturtium, papauer nigrum. ſemen, naſturtij, ſinapis: pyrethrum, anacardi, piper nigrũ. ammoniacum, æs vſtum, tutia, calx, ſal.

Flos

Flos ęris, ſulfur viuum, petroleum. cum his ergo &c.

Scientia extractionis quintæ Eſſentiæ à rebus humidis in primo gradu. Cap. XXIX.

ACcedo ad reuelationem quintæ Eſſentię rerum humidarum in primo gradu, vt quintam Eſſentiam earum affigamus cęlo noſtro, vt influat in nobis tempore ſiccitatis humiditatē in primo gradu: Inula, borago, mercurialis. Semen, althęæ, paſtinacæ, atriplicis. Flos, fabæ. Zingiber, paſtinaca. Lignũ glycyrhyzę, amygdalę dulces, mora matura, vuæ maturæ, iuiubæ, caro pomi citrini, pruna. Fabæ virides, cicer album, lingua auis, piper longum. Ladanum, gummi Arabicum, tragacanthum bdelium. Plumbum, argentum, cadmia argentea. Caro porcina, pecorina, pullina columbarum, anſerum iuuenum, faſianorum, coturnicum, anatum, piſciũ recentium. In ſecundo gradu humida ſunt, althęa vel alcæa, pſyllium, portulaca, atriplex, lactuca domeſtica, malua. Semen, maluæ, lactucæ, ſeſami, portulacę. Flos, nenufaris; fructus, perſica, chry

somela, cerasa, dactyli, cucumeres, cucurbita, melones, citrulli. Faseoli, asparagus, grana cidoniorum. In tertio gradu semẽ psyllij, papaueris albi, cęparũ. Flos violarum, papaueris albi. In quarto gradu humida sunt, argentum viuum, nix.

Scientia ad cognoscendum de omnibus prædictis quæ simul duas habeant proprietates.
Cap. XXX.

VAlde necessarium indicaui, vt reuelem scientiam ad cognoscendum de quacunque re quam proprietatem habeat connexam, quia omnes res ex quatuor elementis plures habent proprietates: quia elementum aquæ est frigidum & humidum, aer calidus & humidus, terra frigida & sicca, ignis calidus & siccus. Et quia quatuor qualitates primæ quæ sunt, calidum & humidum, frigidum, & siccum, quatuor modis tantum combinari possunt ideo sunt tantùm elementa quatuor: nam siccum & humidum quia contraria sunt, simul in eodem nunquam in actu sunt, & eodem modo frigidum

& cali-

& calidum contraria ſunt, & nunquam in eodem ſimul actu conſiſtunt. Cum ergo ſcire volueris de aliqua re ex prædictis, vtrum ſit calida & humida, ſicca & calida, frigida & humida, frigida & ſicca: quære eam in tabulis calidorum, & ſi ibi inuenies eam, extrahe vel nota eam: deinde eandem quære in tabulis humidorum, & ſi ibi eam inuenies, extrahe: & ita inuenies complexionem & gradũ eius: exempli gratia, quæras argentum viuum in tabulis calidorum, & inuenies eum calidum in quarto gradu, quære idem in tabulis humidorum, & inuenies in quarto gradu, id eſt in ſummo calidum & humidum. Et nota quòd primus gradus non attingit ad plenum ſenſum guſtus vel tactus: ſecundus gradus ſenſibus adæquatur: tertius gradus excedit ſenſum, ſed non deſtruit illum: quartus gradus lædit & vulnerat ſenſum. & ab hac conſideratione ordinatio quatuor graduũ in qualibet re eſt excepta.

Scientia ad affigendum in cælo nostro temperatissimam complexionem. Cap. XXXI.

NOminemus res temperatissimas, ex quibus extrahamus quintam Essentiam, vt affigamus eam in cælo nostro, vt influat in nobis summè temperamentum, & æquatissimum esse super modum excellentius quod fieri possit in mundo. Et sunt res temperatissimæ & æquatæ in suo esse ad summè confortandum & reparandum & continuandum complexionem nostram: quæ sunt aurum nostrum, aurum Dei, nō hominis id est alchymię (aurum vulgaris alchymiæ non curat leprosos, & vulnus ex eo factum tumescit) perlę, capillus Veneris, radix lilij, cassia fistula & manna: extrahe ergo quintam Essentiā ex his, & infige eam in cęlo nostro, quia profectò tunc cęlum influet in nobis sanitatem & vitam & continuationem eius vsq; ad vltimum terminum nobis à Deo constitutum. Et iam docui qualiter quintam Essentiam auri affigas in cęlo nostro: sed à perlis & cadmia aurea & similibus extrahes quintam Essentiā

sic:

ſic: pulueriƶes ea donec efficiantur ſine tactu, & tunc puluerem proijce in cælo noſtro: quia profectò totam pulueris virtutem quintam Eſſentiam aſſociabis ibi.

(Tribus modis aurum fieri poteſt: primò eſt aurum naturale ſeu mineræ, ſecundò aurum alchymicum, tertiò aurum lapidis Philoſophorum: ex effectu autem ſic diſcernuntur: nam aurum alchymicum in potu datum non lætificat cor hominis, ſed nocet, quia ex corroſiuis compoſitum eſt, & vulnus ex eo factum tumeſcit. Aurum verò naturale datum in potu, nihil agit, quia taliter vt comeſtum eſt, excernitur. Aurum autem lapidis Philoſophorum eſt ſolum quod quæritur in nutrimentum, & etiã liberat leproſos & omnem infirmitatẽ datum in potu vel comeſtum, & vocatur aurum Dei. & nota quòd aurum nihil aliud eſt quam argentum viuum anatizatum id eſt adæquatè digeſtum).

Docet affigere quintam Eſſentiam rerum attractiua-rum, vt poßit extrahere lignum vel ferrum à vulneribus. Cap. XXXI.

ATtractiua neceſſe eſt eſſe calida vt ſubtiliēt partes: ſunt verò iſtę: magnes, ſagapenum, aſſa fœtida, maiorana, apium, pyrethrũ, petroleum, ſulfur, ammoniacum, lolium, ariſtolochia longa, radix cannæ, dictamum, cataputię, cyclaminũ, thapſia: cum putrefactione attrahent, vt cancer piſtatus, omne ſtercus vſtum, fermentum, ſanguiſugæ: infunde ergo iſtas res in cælo noſtro, & attrahet ad ſe quintam Eſſentiam eorum & tunc attrahit ab omni vulnere faciliter & ſtatim lignum vel ferrum immiſſum.

Docet purgare humores nociuos corporis, & affigere iſta in cælo noſtro. Cap. XXXII.

QVædam laxant ventrem, vel prouocant vomitum diſſoluēdo & attrahendo naturam & humores ſibi ſimiles abominabiles ipſi naturę, attrahuntq́ eos iuuante expulſiua virtute membrorum, ad ſtomachum & inteſtina

intestina, quæ impedimentum ferre nequeuntia, humores à se eijciunt. Quædam purgant cum viscositate, vt mercurialis: Quædam cum acuitate vt euphorbium: Quædam comprimendo, vt myrobalani: Quędam cum salsedine vt semen atriplicis: Quædam cum dulcedine, vt cassia fistula. Sed alia purgãt hunc humorem, alia alium.

Sanguinem purgant (seu mundificant) casia fistula, manna, succus mercuralis, malua agrestis (vel alcea) viola, lupuli, fumusterræ. Flauam bilem purgãt aloe, myrobalani citrini, absinthium, capillus Veneris, rhabarbarum, mercurialis, viola, pruna, serum lactis, casia fistula, tamarindi. Phlægma purgant sarcocolla, sambucus, anacardi, cnicos seu carthami semen, cocognidium, turbith, colocynthis, thymus, staphisagria, hermodactyli (à quibus caue) euphorbium, thapsia, salgẽma. Melancholiam pellunt myrobalani chebuli, lapis lazuli, lapis ammoniacus (vel potius armenus) thymus epythimum (parthenium seu brusaculum) stœchas, sena, chamæpitys, cassu-

ta:helleborus niger. Aquoſos humores eijciunt ſarcocolla, euphorbium, cocognidium, radix cucumeris agreſtis (vel elaterium) ſuccus ebuli. Bilem flauam purgant & phlægma, colocynthis, ſcãmonia, agaricus. Phlægma & melancholiam purgant polypodium, helleborus vterq;, polycaria, cataputia, elateriũ, condiſi, tithymali, centaurea minor, agaricus. Bilem vtranq; purgant myrobalani Indi, ſuccus caulium, nitrum, fumus terræ, eſula, ſena, helleborus niger. Hæ res miraculoſè creatæ ſunt à Deo cum determinata virtute ad expellendum mortales & ſuperfluos humores de corpore noſtro: & quanquam ſint alia plura, non ponuntur tamen in hoc capitulo, quia iſta ſufficiunt. Cum ergo volueris quintam Eſſentiam harum rerum in cęlo noſtro affigere ad purgandum ſanguinem vel alios humores, accipe res de capitulis ſuis & infunde eas in cælo noſtro, & extrahe virtutem earum: vtere tamen cautè, quia multum plus agũt in cælo noſtro quàm ſine illo: ideo neceſſe eſt vt ſis cautus.

Ad

Ad extrahendum quintam Eſſentiam à rebus reſtrictiuis & affigere in cœlo noſtro. *Cap.* XXXIII.

EA autem quæ conſtringunt communiter ſunt terreſtria & frigida: & quædam conſtringunt, quia ex ſua frigiditate partes coniungũt, vt galla: quædam quia craſſos humores generant & lubricos, nimis virtutem retentiuam confortant, & multum nutrimentum præſtãt. Et de numero eorum ſtipticorum, quædam ſtringunt ventrem, quædam ſanguinem. Hæc ſunt quę ſanguinem reſtringunt: coraliũ, bolus, nuces cupreſsi, terra ſigillata, charabe, myrtus, acacia, hacynthi, galla, ſumac, hęmatites, plantago, ſuccus ſalicis, tragacantha, gummi Arabicum, cinis tamariſci, balauſtia, mumia, hypociſtis, ferrugo, virga paſtoris, alumen, thutia, pentaphyllon, portulaca, ſanguis columbę et & vaccæ, ſtercus aſininum, cinis corticis nucis, pili leporis, gypſum, filtrum vſtum, argilla, antimonium, atramẽtum vſtum, cinis factus ex pãno cãnabis, ita

vt ſanguinem ex vena fracta reſtringãt: thus etiam ſanguinem reſtringit conſolidando & carnem reparando. Ex his ergo infige in cælo noſtro, & miraculosè ſanguinem reſtringent.

Scientia ad extrahendum quintam Eſſentiam à rebus quæ ventrem reſtringunt, & affigere cælo noſtro. Cap. XXXIIII.

SVnt verò hæc: cidonia, ſorba, corna, mora celſi immatura, pruna immatura, myrtilli, caules nimis cocti pyra immatura, mala pontica, locuſtæ marinę coctæ, coagulum leporis, lac coctum, lac aſinę coagulatum, caſeus, amygdalæ, ſimila tritici, milium, glans, faba ſemen papaueris nigri, galla, mentha cũ aceto, roſæ, folia cupreſsi, bolus, terra ſigillata, maſtix, coraliũ, ſumach, berberis, ſanguis draconis, hypociſtis, acacia, balauſtia, ſpodium, plantago, tragacantha, gummi Arabicum. Quædam ſiccitate ſua confortant & conſtringunt, vt cubebę, & caryophylli. Infunde ergo in cælo noſtro ex his vim vnicam ad conſtringendum ventrem.

Scientia

Scientia extractionis quintæ Essentiæ à rebus induratiuis &c. vt indurare poßimus.
Cap. XXXV.

FRigida nimis & humida sunt quæ materiam congelant, & membra indurant: Et aliqua ex his sunt frigida & sicca, & sunt ista: myrtus: psylliũ, semperuiua, portulaca, lenticula, aquæ, solatrum, hyoscyamus & maximè semen eius, illud enim argentum viuum restringit. Affige ergo ea in cælo nostro, & influet tantam indurationem quòd vehementius obstupebis.

Scientia ad extrahendum in quintam Essentiam à rebus mollificatiuis &c. Cap. XXXVI.

QVæ mollificant sunt calida temperatè, quæ non multum calefaciant nec exiccẽt: chamęmilla, absinthium, eupatorium, meliloton, styrax liquida, mastiche, ammoniacum, bdellium, galbanum, opopanax, radix althęæ, oleum vetus, adeps caprinus, anserinus, hircinus: medulla ceruina & vitulina. Cum his ergo rebus nostrum cælum mollificatiuum reddes.

Scientia ad extrahendum quintam Essentiam à rebus maturatiuis & mollificatiuis.
Cap. XXXVII.

PEruenianus ergo ad notitiam rerũ quæ maturant & saniem inducunt, quæ temperata sunt, vel temperamento vicinia caloris naturalis: aut ergo sunt viscosa claudentia poros, vnde natutalis calor intus confortatur & materiam apostematis digerit, & sunt ista: Ladanon, styrax liquida, anetum, butyrum, stœchas, radix althææ, semen lini, fœnum Græcum, frumentum, fermentum cum oleo, vua passa & butyro, sudor hominis nudi se exercitantis, saliua seu sputum hominis ieiuni cum frumento. immitte ergo in cælo ista & maturabit apostemata supra quàm credi possit. Obstruentia seu oppilantia sunt quę terrestria & viscosa sunt & præcipuè quę crassos humores & tenaces gignũt: & sunt ista, panis azymus, cępę, granum fractum, simula dactyli, mustũ, pinguedo, caseus, glandes. Quæ verò aperiunt attenuatiuam, incisiuam, corrosiuam, & mundifi-

mundificatiuam virtutem habent: aperiunt enim meatus obstructos attenuãdo abrarendóque humores viscosos & spissos, & mundificando eorum superfluitates, & expurgando vulnerum sordiciem: sed eorum quædam aperiunt intus & extra, vt sunt quæ viscositatem amaritudinem siue ponticitatem habẽt vt amygdalæ amaræ: quædam tantùm interius operantur per largitatem interiorum venarũ, & exterius operari non possunt propter angustiam venarum, sicut ea quę ponticitatem habent admistam vt absinthium. Quędam verò sunt vehementer aperitiua, quæ præcipuè valent ad fortem oppilationem splenis vt citrach seu scolopendrion: quædam debilia sunt in suis actionibus quæ ad debiliorem valent, vt semen vrticæ. Aperitiua item sunt hæc, cappares, asphodelus, costum, gentiana, zingiber cinamomum, xylocassia, semina asari, dauci baccæ lauri, hyssopus, chamædrys, chamepitys, anisum, policaria, calamẽtum, hypericon, apium, trifolium, petroselinon, lygusticum, chęlidonium, stœchas

ſion(vulgò creſſon)ſcariola, abſinthiũ, cuſcuta, agaricus, eupatorium, ſpica, ozimum, cubebę, fumus terræ, rubea maior, xyloaloes, acorus, ariſtolochia rotũda, polium, pæonia, ſiſymbriũ, myrrha, ſambucus, praſsium, lacca, cyperus, marathrum, porrus, cæpe, fermentum cum ſale & oleo, orobus, fyſtici, cucumeres, aſparagus, crocus, ebuli, ſcilla, lupini, ſemen vrticę, iris, abrotonon, farina hordei & fabæ, alumen, vitriolum, ęs vſtum ſal ammonicum, vitrum, aloe hepaticũ & cretenſe, ſemen atriplicis, porrus, pineæ,, raphanus, anetum, cocognidium, ſapo, tamariſcus, malua, pix liquida, dictamus, thapſia, ſtaphiſagria, fel porci, ſtercus canis, ſemen melonum, glycyrhyza, caſsia fiſtula, mel: imprimes ergo quintam Eſſentiam harum rerum in cælo noſtro, & habebis vim miram ad maturandum & mollificandum.

Res quæ mundificant vulnera temperatè ac carnem bonam in vulneribus reparant, ſunt, thus, ariſtolochia longa, iris, orobi, lithargyrium, ceruſſa, plumbum, aſphaltum, myrrha, ſemen atripli-

cis

cis, ſemen tamariſci, mel, aloe: affige ergo ea in cælo noſtro cum fuerit neceſſe & influet mundificationem valde mirabilem.

Corroſiua & vlceratiua ſuperficiem in hoc differunt, quia corroſiua ſiue ſint calida ſiue non, decet eſſe ſicca & ſubſtantiam habere ſubtilem, & ponuntur ſuper carnem: vlceratiua ſuperficiem aliquãtulum vehementiora eſſe neceſſe eſt. Hæc nanque cutem vulnerant quæ carne eſt durior, ſicut prædicta carnem corrodunt.

Vritiua ſunt valde calida vt citò perforent, & craſſa in ſubſtantia, vt diutius immorando carnem eliqueſcãt: in quo oſtendetur quòd electrum vritiuã non haberet virtutem, niſi eſſet craſsities ſuæ ſubſtantiæ in qua agit, & quæ eſt eius fomentum, & quæ ſua violentia ignem teneat in ſe. Inde eſt quòd ignis ille ſupernaturalis vritiuam virtutem non habet.

Corroſiua verò ſunt hæc: æs vſtum, ſal gemma, flos æris, alumen, vitriolum tutia, antimonium, arſenicum,

Vlceratiua in ſuperficie ponuntur ad rumpendum cutē vt expellatur humor ſuperfluus, & ſunt iſta: ſapo, cātharides allium, adarce, radix aſphodeli, os ſepię & omnia ſalſa, acuta & amara.

Iſta vrunt, allium, pyrethrū, euphorbium, piper nigrum, calx viua, ſinapis, argentum viuum, ſapo, cinis foliorum ficus, flammula.

Cicatrizant quæ ſtiptica ſunt, & ſine mordicatione parum deſiccant, ſufficiunt cicatricem inducere, & rarò ſunt apponenda, & ſunt hæc cicatrizantia: æs vſtum, galla, alumen, balauſtia, ſpodium, pumex vſtus, aloe, lithargyrium charabe, plumbum vſtum & ceruſſa: pone iſta infra cælum noſtrum, & influent tibi conditiones eorum.

Scientia fixionis in cælo noſtro rerum conglutinantium. Cap. XXXVIII.

COnglutinant medicinæ vel ſua viſcoſitate, vel mundificando vlcera, & reparando carnem, vel con ſtringendo diſtantia labia ſolutorum adinuicem, & ſunt iſta: gypſum, folia cu preſsi,

preſsi, ſarcocolla, bolus, aloe, cortex thuris, myrrha, bdellium, lithargyrum, balauſtia, mumia, ſanguis draconis, aſphaltum, amidum, loliũ, folia & grana quercus, ſerpentaria, teſta vſta oui, pili leporis vſti. Hæc ergo affixa in cælo noſtro, vim conglutinatiuam influent.

Affixio in cælo rerum attenuantium.
Cap. XXXIX.

ISta ſunt quæ attenuant & diſſoluunt calorem, ſeparant nanq; partes rei in qua agunt ſuo calore, ſicut videmus ad ignem mel aut niuem diſſolui: fumus enim diſſolutus intra poſitionem ſuam partem à parte ſeparat: & ſunt hęc quæ præcipuè in corpore humano hæc operantur: aſphodeli, cuſcuta, abrotonon, ameos, ariſtolochia: ammoniacum aſſa fœtida, agaricus, amomum, allium, balſamum, cæpe, cyperus, chamædrys, chamæpitys, eruca, capparis, caricæ, cinamomum, coriandrum, calamintha, bulbus caninus, eupatorium, ruta & ſemen eius, erice, euphorbium, fœnum Græcum, fæx vini, galbanum, gumma

citri(vel cedria)gentiana,iris,hyſſopus ſulfur,maſtiche,mētaſtrum,vitriolū,ſemen vrticæ,xylobalſamum,poliū,ptarmica, pæonia,ſauina, polycaria, petroleum,thapſia,ruta,vitrum,ſambucus,ſerapinum,terebinthina,opopanax, narciſſus,pix liquida,ſcolopendria,ſeſamū ſemen lini,vua paſſa,ſanguis muſtelę & murium,ſtercus vaccæ, pinguedo leonis,caſtoreum. Harum ergo quintam Eſſentiam affiges in cęlo noſtro,& eam reddet attenuatiuam.

Incîdunt mediocriter & diuidunt humores à calore cęli operante, omnia acetoſa, maximè acetum quod ex vino forti factum eſt:hoc enim ex nimia ſubtilitate in remotis operatur locis:& sūt iſta,eupatorium,ſcilla,cyperus, chamædrys chamępitys, petroleum, piper nigrum,ruta,nitrum,mel,cępe,ius ciceris & orobi,ſal & acetum:infige ergo quintam Eſſentiam harum in cælo noſtro,& habebis virtutem inciſiuam vltra modum.

Mundi-

Mundificantia cutim.

QVæ cutim mundificant, debent esse calida, non tamen multum, & crassam aut terrestrem debent habere substantiam: & sunt ista: absinthium, cæpe, chamæmalō, radix sambuci, radix cucumeris agrestis, althæa, abrotonum, oleum vetus, costus, rosmarinus. Cum quinta Essentia harum cælum nostrum mundificat cutim.

Diaphoretica necesse est esse calida, vt per poros apertos humorem in fumum extenuent & euaporare faciant, & sunt hæc, farina hordei, anisum, assa fœtida, ruta, pyrethrum, pix, nitrum, galbanum sal, ficus siccæ, petroselinon, maiorana, semen vrticę, sauina, bryonia, oleum vetus, mentastrum, mel, cæpe, raphanus, vaccinum stercus, abrotonon, aristolochia, radix asphodelorum, radix cucumeris agrestis: hæc operantur in cælo nostro vt humores euacuēt in fumum.

Repercussiua sunt ea quæ humores à parte patiente repellunt, & sunt frigidæ naturæ, vt astringendo membrum,

retinendo ſpiritum, virtutem membri expulſiuam confortent: & ſunt hæc: cimolia, glandes, hyoſcyamus, papaueris ſuccus, plumbum, ſolanum, ſemperuiua hypociſtis, acacia, capreoli vitis. Cum his cælum noſtrum repercuſsiuum reddes.

Ad affigendum in cælo noſtro vim obdormitiuam.

OBdormire faciunt quæ nimia frigiditate ſua neruos conſtringendo & obturando aditus ſeu meatus animalis ſpiritus, ſtuporem inducunt, & ſunt hæc: papauer vtrũq; ſed magis (& periculoſè) nigrum, opium, mandragora, hyoſcyamus, torpedo piſcis, ſalamandra, aqua frigida, lenticula aquatica, sẽperuiua, portulaca, pſylliũ. Iſtorum quintam Eſſentiam affige in cęlo noſtro, & ſine dubio mirabilius quã credis, dormire facient.

Mortificant quæ ſalſedinem habent multam cum acumine, & ſunt hæc: oliuæ cum ſale & aqua conditæ, porrus, arſenicum, cantharides, ſuccus hellebori,

radix

radix cucumeris agreſtis: infunde ergo in cælo noſtro harum quintam Eſſentiam, & mortificabunt.

Confortant quæ humores è cerebro vel à corde & aliјs principibus membris proprie purgant, vt ſena, ſtœchas Arabica, caſſuta, ſarcocolla, myrobalani omnes, fumus terræ. Confortant quæ cordis ſanguinem clarificant, vt aurum, argentum, perlæ. Confortant quæ ponticitatem aliquam habent, quia ſtipticitate ſua & ſubſtantiæ craſsitudine partes membrorum coadiuuant & ſpiritũ ac calorem retinent, cuius adiutorio virtutes operantur, vt abſinthium & cet. Corroborant etiam quæ vitalem ſpiritum vel animalem reparant, vt roſa: & quæ ventriculi ſeu ſtomachi vim concoctricem confortant, vt cinamomum. Cætera confortantia ſunt, vt caphura, crocus, ſumac, berberis, folium, mentha cyperus, xylocaſsia, ſantala, galanga, zedoaria, pomum citrinum ſeu citreum, cardamomum, borago, ozimum, ſpica, cubebæ, ſponſa Solis, maſtix, moſchus, xyloale, nux moſchata, macis, caryo-

phyllus, calamus aromaticus. Infunde ergo in cælo nostro quintam Essentiam harum rerum & eum reddet confortatiuum mirabilius quàm credi posſit.

Hæc pellunt venenum.

HAbebit cęlum nostrum virtutem ad expellendum venenum si infundas in eo carnes galli vel gallinæ, nuces, theriacam, maiorem & minorem, raphanum, & alia quæ contra venenum in libris Philosophorum & medicorum communiter assignãtur: cum his enim cælum nostrũ adipiscetur vim expulsiuam venenorum.

Canon in extractione quintæ Essentiæ omnium mineralium aliter quàm prius, & primò qualiter extrahitur quinta Essentia ex auro.

Caput XL.

LIcet supra docuerimus extrahere quintam Essentiam à rebus quantum nostro proposito sufficere videbatur, ex superabundanti tamen de extractione omnium mineralium aliter quàm prius, auxilio omnipotentis Dei, theoricam specialiter faciemus: & primò

primò qualiter extrahatur quinta Essen tia ex auro: & iste est modus: Reduces aurum in calcem per magisterium nostrum quod te supra docui in canone quarto in scientia vltima, quo facto accipe acetum Philosophorum nobilissimè distillatum, vel vrinam antiquã (alibi vinum antiquum) in vase vitreo & lato, & sit liquor in altitudine digitorum quatuor, & intus pone calcem auri, & pone ad fortissimum Solem in æstate & dimitte, & videbis eleuari quasi liquorem olei desuper natantem in modum pelliculæ, collige id cum cochleari vel penna infundendo in cyatho vitreo vbi sit modicum aquæ, & sic pluribus vicibus collige in die donec plus non ascendat (intelligo ad calorem similem calori Solis in æstate quando Sol est in leone) postea facias ad ignem euaporare aquam ex cyatho, & remanebit tibi quinta Essentia veri auri. Et multi vocauerunt hanc quintam Essentiam sic extractam oleum incombustibile, quod posuerunt pro maximo secreto Philosophi. Quòd si hanc quintam Essentiam

affixeris in cælo nostro, poteris sine omni falsitate perditam virtutem naturæ hominis & iuuentutem recuperare & reducere, & vitam prolongare vsque ad vltimum terminum à Deo nobis constitutum. Et modo in veritate tibi aperui illud quod est in re secreti maximi in recuperatione naturæ, & maximis rebus, quod nulli debes reserare. Et habet oleũ istud siue quinta Essentia auri dulcedinem maximam ad mitigãdum dolorem vulnerum, & ad sanandum vulnera & vlcera, & mala multa, & infirmitates multas, supra quàm credi possit.

Ad extrahendum quintam Essentiam ab argento. Cap. XLI.

QVanuis quinta Essentia ex argento posset extrahi vt ex auro, tamen aliter te docebo: Et magisterium maximum est vt habeas acetum Philosophorum distillatum, optimum, infra quod infunde nobile tartarum calcinatum ac sal ammoniacum in amphora vitrea, quam statim claudes quia virtus exhalaret: ammoniaco immisso

miſſo infra amphoram piſto, pone calcem argenti quam ſupra docui te facere, ſi audiuiſti, qua ſigillato luto Sapientiæ abſconde in fimo calido, vt ibi putrefiat octo vel decem diebus: poſtea pone in diſtillatorio, & primò aſcendet acetum, deinde, quod mirabile eſt, aſcēdet quinta Eſſentia argenti in modum argenti viui, quæ talis eſt & tantæ virtutis exiſtit in operibus miris, vt nemini liceat reuelare.

Scientia ad extrahendum quintam Eſſentiam ex argento viuo & vitriolo Romano.

Cap. XLII.

GLorioſiſsimus Deus ita ordinauit vt quinta Eſſentia argenti viui ſimul cum quinta Eſſentia cuperoſæ ſeu vitrioli Romani mirabiliter extrahatur: quoniam quando argentū viuum ſublimatur cum eis & cum ſale petræ (alibi communi) tunc aſcendit argentum viuum albiſsimum, & quintam Eſſentiam vitrioli ſine dubio trahit ſecum. & cum habes argētum viuum ſublimatum cum iſtis, habes inuiſibiliter

quintam Eſſentiam eorum abſconſam infra albedinem argẽti viui: & illa quintaEſſentia inuiſibilis, vocatur ſulfur Philoſophorum, quod eſt inuiſibile. Ideo dicunt Philoſophi, quòd ſulfur eorum non eſt ſulfur vulgi, vel commune: Et pauciſſimi hominum ad hanc notitiam peruenerunt. & ipſum eſt quod ſtatim congelat Mercurium ſupra albedinem niuis: & hoc quia ſunt ferè eiuſdem naturæ, ideo ſecum ſublimatur.

(Pluribus modis reperitur ſulfur: primò ſulfur Philoſophorum eſt propriè argentum viuum de prima compoſitione Mercuriali: alius ſulfur Philoſophorum, eſt illa virtus excellẽtiſſima à Deo concreata in omni re in hunc mundum nata ſeu generata: qua virtute ab ea re extracta per ſe, valet centuplum pluſquàm cum adhærẽtijs ſuis, vt ait author iſte. Aliter ſulfur Philoſophorum non eſt aliud quàm actus purus aeris & ignis calefaciens & digerens ſeu concoquens terram & aquam ſibi cõproportionales & homogeneas in Mercurio, ſecundum Bernardonum, Aliter, ſulfur

Philo-

Philosophorum propriè est vapor argenti viui, coagulans se ex sua substantia terrea, subtili, aerea, & digesta à mistione prima sibi vnica caloris actione, postea eleuata, decocta, & digesta, donec habeat vim sulfuream coagulatã).

Et scito quòd argentum viuum sublimatum habet quasdam partes incombustibiles, & habet quintam Essentiam quæ corrumpi non potest per ingeniũ nostrum. Et dicimus quòd si intra aquã corrosiuam factam ex vitriolo & sale petra immittas argentum viuum sublimatum absq; vitriolo, laniabitur totum & in atoma conuertetur. immitte ergo argentum viuum sublimatum cum vitriolo vel cuperosa & sale petra (vel communi albissimo) infra aquam corrosiuam prædictam, donec totum argẽtum viuum dissoluatur in aquam: & cõsequenter pone totum illud ad distillandum: ascendet enim primò aqua corrosiua, deinde sequetur quinta Essentia Mercurij & vitrioli simul, ita alba, vt albedo niuis illi non valeat adæquari: & remanebit in fundo pars Mercurij com

busta & turbis: reitera huiusmodi distil lationem quintæ Essentiæ in aqua forti prædicta, & sublima illam aquam ter vel plus, donec post sublimationẽ nullę fæces remaneant in fundo vasis, sed totum sublimetur in album: & habebis, iussu Dei, quintam Essentiam Mercurij & vitrioli simul perfectissimè sublimatã. Si quis caperet & intelligeret mysteriũ eius, maximum foret: quia res grandes habet, ex quo eius quinta Essentia est in corruptibilis effecta & de natura incor rupti auri & incorruptibilis plusq̃ aurũ. Quòd si cupis quintã Essentiam vitrio li seu cuperosę extrahere à quinta Essen tia Mercurij, infũde illud in aceto distil lato vel alio, & dimitte resolui diu, & ar gento viuo residente in fundo, quinta Essentia vitrioli vel cuperosæ in aceto sine dubio remanebit: (percola acetum paulatim, exibit cum aceto quinta Essentia vitrioli & cuperosæ quia leuiores sunt, & argentum viuum remanebit in fundo vasis). Quod sic ad oculũ probabis: extingue pluribus vicibus ferrũ in aceto, & postea illud acetum misce

cum

cum illo in quo est quinta Essentia vitrioli seu cuperosæ, & habebis rem rubicundissimam & splendidam supra modum: distilla per filtrum, & pone ad leuissimum ignem, & collige nebulas nigras quæ generabuntur in superficie, & quinta Essentia pulchrior omni auro tibi remanebit in fundo, quæ valet ad vulnera sananda & morbos corrosiuos. Sic & quinta Essentia Mercurij sanat fistulam & cancrum & plurima alia mala.

Ad extrahendum quintam Essentiam à ferro & cupro.

A ferro & à cupro extrahitur quinta Essentia hoc modo: accipe eorum limaturam, & intra acetum distilla tum mittas cum sale communi vel sale ammoniaco & ad fortem Solem deferueat, & eleuabitur ex ferro crocus ferri, & ex cupro æs viride quod vocant flos æris. Et cum aceto fit cerussa ex plumbo laminato, quod est eius quinta Essentia, quæ omnia ad medicinas valent.

Extractio quintæ Essentiæ ex sulfure & auripigmento.

ET erit necessarium tibi puluerizare sulfur, quo facto, in vrina antiqua pone illud ad leuissimum vel lentum ignem donec fuerit vrina colorata: quam coloratã extrahe, & ad partẽ pone. Item super ipsum sulfur aliam vrinam pone donec fuerit colorata, & illã adde primæ, & aliam iterum appone quandiu poterit colorari vrina: consequenter coniunge simul omnes coloratas vrinas istas & pone ad ignem lentissimum vt euaporentur, & remanebit tibi quinta Essentia sulfuris in fundo vasis: quam pone in vase lato cum aceto distillato ad ignem lentissimũ, & si quid de pinguedine sulfuris dissolutum eleuabitur virtute aceti in forma nebulæ nigræ, eam remouebis cum penna, & remanebit tibi quinta Essentia sulfuris sic purgata, vt pulchritudo auri illi nõ valeat adæquari nec comparari. Eodem modo operaberis in alijs rebus similibus, vt in arsenico, auripigmento, marchasita, & quocunque alio.

Scientia in extrahendo quintam Eſſentiam ab antimonio, quæ appellatur Marchaſita plumbea.

DEVS benedictus cæli ipſe teſtis eſt, quòd nunc ego tantum ſecretum reuelabo, quod reuelatum alicui nunquam fuit, aut paucíſsimis notum: & hoc eſt arcanum omnium ſecretorum: Extrahere quintam Eſſentiam ab antimonio: & modus eſt, vt antimoniũ pulverizes donec fuerit ſine tactu: quo facto, accipe acetũ Philoſophorũ nobiliſsimè diſtillatum, & puluerẽ antimonij pone intus in vaſe vitreato, & pone in fimum equinum 70, diebus: Poſtea pone antimonium in cucurbitam in cineres ſuper furnellum cum aceto, & da ignem ita lentum vt cineres calefactas poſſes in manu tolerare, donec acetum coloretur in rubeum, &c. deinde acetum rubificatũ auferatur, & mundè ponatur ad partem, & de alio aceto ſuperponatur fæcibus donec ſuper modicum ignem etiam coloretur. & ſic toties fiat donec ibi acetum amplius non

coloretur. Et collectis acetis sic coloratis, pone ea in balneo distillatorio cum suo alembico, & distilla lento igne, & ascendet acetum primò, deinde videbis miraculum stupendum, quoniam per rostrũ alembici videbis quasi mille venulas liquorum benedictæ mineræ descendere per guttas rubeas sicut rectè esset sanguis: quem benedictum liquorem collige ad partem in vitro, vel in amphora vitreata: quo habito, habes rẽ cui totus Orbis thesaurus adæquari nõ possit. Vide miraculum manifestum, tantam dulcedinem antimonij in rubea quinta Essentia eius reperies, vt dulcedo mellis ei æquari non posit. Et dico tibi in charitate Dei, quòd intellectus humanus non posset capere nec credere valorem nec virtutem stupendam quintę Essentiæ antimonij supradicti. Quid dicam tibi? Aristoteles dicit, illum esse plumbum suum, in libris de Secretis secretorum, licet non nominet nomine antimonij. Crede mihi, nũquam fuit in natura secretũ maius: nec erit. Attende quod dico: omnes homi-
nes

nes laborauerunt vt ſpiritus minerales ſublimarent, & nunquam inuenerunt quintam Eſſentiam antimonij ſicut dixi. Si dicerem tibi millies, hoc eſt ſecretum ſecretorum, nunquam poſſet ſufficere ad exprimendum medietatem arcani: aufert dolorem omnium vulnerũ & mirabiliter ſanat. Virtus eius eſt incorruptibilis & miraculoſa & vtilis ſupra modum. 40, diebus indiget putrefieri in amphora ſigillata in fimo, & tũc operatur arcana. Hic eſt maximus ſtupor, vt ex minera tantus dulcor procedat: & non credas impoſsibile quod tibi reuelaui. Et nota quòd ſi ceruſſa apponatur in aceto diſtillato & bulliat in eo per duas horas vel plus, ſic vt acetũ euaporetur, & donec ceruſſa remaneat in ſpiſsitudine olei, illud vocatur oleum plumbi, & habet dulcedinem mellis, ſed fatuam. Et ſcias quòd dulcedo quintæ Eſſentiæ antimonij quæ rubea eſt, in qua eſt arcanum omnium arcanorum, eſt dulcis & melior omni dulcedine mellis, vel ſacchari, vel alterius cuiuſq; rei. Crede mihi, & volues libros omniũ

Philoſophorum, & quæras plumbum Philoſophorum & numquam inuenies quid ſit illud: neque artem veram inuenies, vt quid præter argentum viuum poſsit mineram in calore rubeo ſublimare. Labora ſatis, & lauda Deum in hoc quod dixi. alius nominat antimonium, leonem viridem. Omnia apoſtemata curat hoc oleum antimonij in breui tempore, ſi illis ſuperponatur in modum vnguenti.

Scientia ad reducendum argentum viuum ſublimatum vel quintam Eſſentiam eius ſeparatam, in aquam quæ apud Philoſophos Lac virginis appellatur: & de athanor.

Cap. XLII.

OMnes ſpiritus ſublimatos ſicut eſt argentum viuum ſublimatũ, aut eius quintam Eſſentiam, aut arſenicum ſublimatum, aut ſulfur, aut ammoniacum, & maximè argentum viuum ſublimatum, ſic etiam reduces in aquam, vel in lac virginis ſecũdum nominationem Philoſophorum: & modus eſt iſte: Recipe argentum viuũ ſublimatum,

limatum, vel eius quintam Essentiam, & pone in vitreo vase vel vitreato lato seu amplo, & constitue illud in tripode & athanor id est in furno Philosophorum, vbi est ingenium mirabile, vt illud quod in eo ponitur digeratur ęqualiter ab omni parte, & sic fit: Construe parietes furni rotundi in altitudine vnius pedis, & super parietes eleuatos adapta laminam ferream talem cum pedibus quatuor, & facias vt latera laminæ non tangant parietes furni, sed sustententur in illis quatuor brachijs seu pedibus, vt calor qui ascendet ab infra, tantùm per latera ascendere posit in circuitu laminæ atq; furni: supponitur enim quòd feceris ostiolum iusta terram vnde immittantur carbones: deinde supra parietes à lamina supra ædificare incipies alios parietes in rotundum vt supra per medium palmum vel circa: & locabis desuper testudinem rotundissimam ingenio figuli factam, cum qua cooperies furnum tuum: & in latere supra laminã foramẽ facies, quod claudes cum ostiolo terreo aptato, vt apponere posis

manum ad iudicandum caloris gradũ, & sic habes furnum tuum. Certum est enim tibi, si intellectum habes, quòd iste furnus æqualiter se calefaciet ab omni circumferentia eius, quia calor propter laminã impeditur ab infra, & proijcitur ad latera æqualiter, & à lateribus reflectitur æqualiter ad medium & caput ollæ: ideo furnum scienter fecimus rotundũ. Cum autẽ vas volueris in furno locare, in medio laminæ constitues tres dentes per duos digitos eleuatos, æqualiter distãtes, & scutellam terream desuper appone, vt in aere eleuata remaneat: et infra scutellam terream alios tres dẽtes minores similiter erigemus, & super hos constituemus amphoram vitream sigillatam, quam cooperiemus cum alia scutella terrea vel vitrea, vt in medio ambarum scutellarum amphora seu ampulla, in medio interstitio aeris collocetur non tangens fundum nec latera vtcunq;. Et quia supponitur ꝙ caput siue medietas furni eleuari potest, aperiemus & cooperiemus quando volemus. Hic est furnus secretissimus Philosophorum

losophorum, qui athanor appellatur: & ad notitiam eius pauci homines deuenerunt: & in hoc fit concoctio, & digestio æqualiter, ab omni parte. Cum autem voles Mercurium sublimatum vel alium spiritum sublimatum conuertere in aquam seu lac virgineũ, pone super laminam inter dentes scutellam cum re diligenter trita, & non cooperies eam, sed aer calidus materiam mundam tangat, & da ignem trium carbonum, quia modicus ignis sufficiet tibi, & continua ignem iugiter per octo dies & noctes. & ibi in stupha calida & sicca spiritus calcinatur. extrahe ipsum deinde, & diligentissimè tritura super marmor materiam, donec sit sine tactu: post hoc pone in distillatorio vitri, quod colloca in balneo Mariæ in caldario, ita vt per duos digitos distet ab aqua, ita quòd taliter non tangat aquam, sed in aere suspendatur. Fiat ignis sub balneo in stupha humida & calida, scilicet vt nõ tangat aquam, & tunc materia argenti viui resoluetur in aquam: & hoc fiet si fuerit bene calcinatum & bene trituratum.

Posito ergo desuper alembico, distillabitur virgineum lac clarissimum: quod est quinta Essentia tam Mercurij quàm vitrioli simul mista: & est in ea secretum secretorum. Et ignis mensura seu pondus in digestione omnium volatilium in nostro athanor id est in furno, est, vt per ostium, quod est factum supra laminam, immittas manũ in furnum quam tenere possis in aere sine læsione. Et si nimis magnus ignis fuerit, minue eum. Et caue in fixione omnium rerum volatilium ab igne nimio: ideo necesse est rem infra amphoram vitream sigillare, & ignem debilem dare. Intellige ergo extractionem quintæ Essentiæ in hac parte, quia hęc est res magna supra quã credi posit.

(Aqua alba aliter etiam fit sic: Recipe salis ammoniaci subtilissimi, & tartarũ calcinatum ana, & tere simul, & pone in fimo vel in loco humido donec dissoluantur in aquam albam. Aliter fit alia aqua: Recipe lithargyrium bene tritum & pone in aceto in quo dissolutum sit sal ammoniacum & alumen, deinde distilla

ſtilla, & habebis aquam albam & acutã, quæ excedit omnes alias aquas).

Scientia ad faciendum ignem adeptum, qui quaſi habet tantam actionem vt ignis infernalis.

Cap. XLIII.

EXcellentia ſecreti ignis adepti eſt tanta, & talis, vt eius virtus explicari non poſſit. & ſic fit: Accipe argentum viuum ſublimatum cum vitriolo & ſale communi: ſed melior eſt eius quinta Eſſentia ſuperius extracta: deinde accipe ſal ammoniacum ſepties vel decies diſtillatum vel ſublimatum, & per æquas partes miſce, & tritura diligenter, & expande puluerẽ ſupra marmor, & pone de nocte ad aerem quietum & ſerenum, vel in cellario frigido, & ibi conuertetur in aquam, quam collige in vaſe vitreo vel vitreato bene cocto & fortiſsimo, obturato, & ſerua.

(Alibi ſic: Recipe argenti viui quintã Eſſentiam extractam per aquas corroſiuas, deinde recipe ſal ammoniacum purè ſublimatum, & per æquas partes iunge, tritura &cet).

Et hæc aqua tantæ actionis est, vt si vna modica gutta tibi super manū ceciderit in ictu oculi perforet manū & eodē modo si ceciderit supra laminā argēteam, cupream, vel ferreā: & nota quod tantæ virtutis est hæc aqua, seu ignis, vt metalla intus proiecta, sicut arg. cuprū vel stannum, conuertantur in similitudinem margaritæ seu perlæ. Si quis sciret temperare hanc aquam siue hunc ignē, sine dubio omnem ignem sacrū extingueret in ictu oculi, & omnem morbū corrosiuum sanaret. Et scias quòd multi hanc rem, sal amarum in suis libris appellauerunt, quanquam non doceant magisterium eius.

Scientia operationis aquæ fortißimæ & virtuosæ supra modum.

BEatissimus Deus creator arcanorum, tot mirabilia condidit in natura, vt nec intellectus noster nisi pauca possit percipere, nec lingua valet mirabilia Dei, nisi balbutiendo, narrare. Et ex arcanis reuelabo tibi aquam diuinę actionis: & magisterium eius est

vt accipias optimum tartarum album calcinatum (vel ſalem tartari ſoluti & congelati) & pone in aliquo vaſe terreo vel vitreo (in vrinali vel ſimili vaſe vitreo) & infunde deſuper meliorem aquam ardentem quam poteris habere, & pone deſuper alembicũ, & diſtillabis aquam ardentem debilem valde, quam remoue, quia nihil valet aut parum, niſi pro oculis aut membrorum lotione: deinde accipias tartarum tuum, & inuenies eum fortificatum in duplo, & hoc qualibet vice probabis cum lingua. Iterum aliam aquam ardentẽ deſuper pluribus vicibus appone, quia qualibet vice infortiabitur ſeu fortificabitur ſupra modum: & in tantum eum fortificare poteris, vt nulla creata actio ei valeat comparari. Qualibet vice communiter inuenies vas fractum, & erit tibi neceſſe plura vaſa habere in opere eius.
Quòd ſi vis vim eius centuplicare, tritura eum & pone ſuper porfidum vel ſuper marmor vt conuertatur in aquam, quam pone in fortiſsimo vaſe vitreo, & infunde intus ſal ammoniacum, & ſubl

to ſigilla, quia virtus eius exhalaret. Vis huius aquæ eſt, omne vulnus ſanabile ſanare in ictu oculi, quod fit ex læſura vel ſcabie in cute: omnem ſcabiem & exituram curat valde ſubitò, ſed nō eſt tibi neceſſe pro cura ſcabiei vel vulnerum ſalem ammoniacum immiſcere, & ſi vis eius virtutem adaugere ad ſummum, miſce cum ea ignem adeptum, & operabitur plus quàm ignis inferni. ſed ſi intra illam aquam primam ſine ſale ammoniaco argentum viuum ſublimatum immiſeris, cum modico caloris viuificabis illud. Et ſimiliter omnes calces corporum reducet in corpus, id eſt in maſſam, & mirabilia operatur. Et ſi contingat tibi quòd ignis adeptus in præcedenti capitulo reuelatus fracto vaſe ſpargatur per cineres, collige illud diligenter quod in cineribus inuenies impaſtatum, & pone ſuper marmor & ſicut prius conuertetur in aquam, & tantum valebit vt prius: ſerua illud, quia ſecretum eſt.

¶ Oleum tartarinum ſeu taſſi ſic fit: recipe tartarum album vel rubeum & calcina

cina ipſum in fornace calcinationis, po ſtea diſſolue in aquã calidam & diſtilla per filtrum totam ſalſedinẽ, poſtea con gela in vaſe terreo: congelatum tere in mortario, & pone ad diſtillandum in vno ſacculo vel per filtrum, poſtea con gela in vaſe vitreo, congelatum fac diſ- ſoluere ſuper marmor, & diſtilla per fil- trum, & habebis bonum oleum taſſi: & ſi ter iteraueris melius erit ad Solem & Lunam. Nota quòd ſi vis calcinare tar- tarum eſt neceſſarium quòd ponas eũ in fornace vitreariorum per duos dies in vno vaſe, & ſic calcinatur: & ſi nõ fue rit bene candidum, reitera iterum in fornace. Melius autem fit in fornace fi- guli ſeu vrceorum aut ollarum terrea- rum: poſito verò tartaro in fornace, & facto bene candido, ponatur poſtea in vaſe terreo vel vitreo prout ſupra nar- ratur, & de aqua ardente ponatur deſu- per, & fiet vt ſupra narratur. Oleum tar tari ſic fit: Accipe tartarum calcinatum ſecundum quòd dixi, & tere in morta- rio quouſq; fiat puluis ſubtilis, deinde ducatur ſuper marmor & die, & nocte

pone marmor in locum humidũ ſuper terram, & ſoluetur: pone in ampullam vitream, & bene cooperiatur ampulla.

Aqua fortis ſecundum Ariſtotelem: Recipe vitrioli Romani libram vnam, ſalis nitri libram dimidiam, cinnabari vncias duas, tere ſimul & diſtilletur faciendo ignem paulatim primò lentum & cet.

Nota ſecundum Bernardonũ quòd aurum nec argentum non diſſoluuntur in aquis fortibus, ſed corroduntur: & ideo propriè illa non appellatur ſolutio, ſed corroſio. Nota etiam, quòd nulla aqua notabiliter reductiuè, verè, metalla diſſoluit, niſi illa quæ in congelationibus remanet ſecundum eundem Bernardonum).

Excuſatio mirabilis quare arcana Philoſòphiæ ſublimia vlterius non reuelat.

Cap. XLIIII.

QVia ſecundum Philoſophiam catholicam id eſt ſecundum ſcripturam ſacram, melior eſt obedientia quàm victimæ: propter reuerentiam ſtatutorũ ordinis noſtri & obe

dientiam

dientiam prælatorum Ecclesiæ sanctæ Dei, medicinas valde mirabiles ac summè desideratas à mundo, quę nō solùm quasi miraculosè corpora nostra sanarent ab omnibus morbis, sed etiam ipsa metalla imperfecta in aurum & argentum in ictu oculi transmutarent: quarū magisterij veritas est mihi in tribulationibus carcerum, volente Deo, intellectualiter reserata, minimè reuelabo: quia de alchymicis operationibus scilicet religioni nostræ pertractare non licet. Ideo tibi in consideratione quintæ Essentiæ finem constituo, vbi operationes & considerationes alchymiæ possent vel deberent misceri: Contestor autem omnibus Euangelicis viris, Deo inuocato in testem, quòd si diabolo instigante in operationes alchymicas prolabantur, in reprobum sensum dabuntur, & scito, quia est via perditionis & mali, pro eo quòd nullus Philosophorū scripsit veritatem in libris, nisi fictè & sub parabolis, quæ non valent intelligi nec comprehendi ingenio humano. Et nota etiam quòd nullus valet ad sublimia

huius artis peruenire, nisi fuerit per altissimam contemplationem & sanctissimam vitam deificata prius mens eius, ita vt non solùm cognoscat omnia interiora naturæ, sed etiam cognoscat transmutabilem trãsmutare naturam, & hoc paucissimis est concessum. Et communiter hi fictionum & sophisticationum sectatores sunt, & efficiuntur falsificatores monetæ, & sigillorum prælatorum & Principum, vagabundi, deceptores, & sine religione, & damnabilis vitę: de quibus verificatur ad literam prouerbium Pauli secundi ad Corinth. 3. dicentis, Semper discẽtes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Quia quando non possunt ad scientiam perfectam peruenire, ad sophisticationes inutiles se conuertunt, & communiter malo fine clauduntur. Reliqua autem opera philosophica summè stupenda quæ hîc subticeo coniectus (contra Deum & iustitiam sicut in die Iudicij Deus ostendet) ab æmulis in vincula integris iam septem annis, inter compedes & catenas, per sublimes theorias & illumi-

nationes cæleſtes, didici, inferius per libros ſingulos, ſi Deus voluerit, vobis viris Euangelicis, quibus ſcribo, pleniſſimè reuelabo vt potero. In hoc ergo finem accipiat primus liber de Conſideratione quintæ Eſſentiæ appellatus, & ad gloriam & laudẽ omnipotentis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad conſolationem bonorum virorum & honorem Eccleſiæ Dei:
Amen.

LIBER SECVNDVS QVI DE GENERALIBUS REMEDIJS APPELLATUR.

Caput I.



ICET primus liber qui est de Consideratione quintæ Essentiæ, tantæ virtutis in rei veritate existat, vt per eum posit curari omnis morbus curabilis, si quis vult profunda ruminare naturæ, & artificij cælica principia quę detexi: tamen quia non omnes, etiam qui videntur aliquid scire, ex principijs cõclusionem rectè deducere sciunt, contra infelicitates naturæ, docebo in hoc secundo libro sanitatis remedia subitò procurare & quasi miraculosè Euangelicis viris, vt ex his diuinis remedijs reddantur habiles, animosi, & fortes, ad vniuersos perfectionis labores.

Remedium

Remedium primum qualiter impedimenta senij curentur, & de remedio restaurationis.

MAgisterium in cura incommodorum senij & reparationis pristinæ iuuentutis, & restaurationis naturę perditæ & conseruationis vitę in grādi & læta sanitate vsq; ad terminum vitę nobis constitutum à Deo, est vt accipias quintam Essentiam aquæ ardētis in vase circulationis rectificatam vsque ad summam fragrantiam, sicut liber primus te docuit: in quam infundas auri quintam Essentiam & perlarum: & hac diuina potione senex manè & sero vtatur qualibet vice ad quantitatē plenæ nucis, & infra paucos dies ad tātam perueniet incolumitatem quòd manifestè se sentiet ad robur & statum. 40. annorum aut 50, redijsse, & gaudebit peruenisse ad pristinam iuuentutem. Magisterium est in hoc, vti modestè & rarò quinta Essentia supradicta, vt solùm iuuentus reparata, sanitas obtenta, natura restaurata, in suo esse sine augmentatione & diminutione notabili seruetur:

& expedit in magisterio isto addiscere quòd vtatur bono vino in comestionibus suis, in quo sit affixa quinta Essentia auri & perlarum, sicut docuit primus liber.

Remedium secundum contra mortem & magisterium in suscitatione mortuorum.

Caput II.

IN hoc capitulo mortuos appellamus nõ simpliciter, sed illos de quibus vltimatè desperamus de vita, qui quidẽ morti propinqui sunt, & à medicis derelicti, & à vitæ actibus destituti, ita vt nõ vtantur etiam sensibus, dum posśint tamen modicum deglutire, huic mortuo in respectu subuenimus in hoc, vt satis citò resurgat & loquatur, & viuat, nisi sibi aduenerit vltimus terminus vitæ sibi datus à Deo. Et magisterium eius visitationis mortuorum est, vt quintam Essentiam cum qua supra reparas iuuẽtutẽ, homini mortuo administres: quoniam statim cum modicum quid infra stomachum glutiendo vel qualitercunque receperit, influet in corde influxũ radij caloris naturalis & vitæ: & videbis eum

eum resurgere manifestè, & roborari, & confortari miraculosè iam quasi defunctam & consumptam naturam. Et si vis vt hoc fiat in instanti & in ictu oculi, ita vt credatur illusio ex subito miraculo euidenti, habeas de herba chelidonia, cuius flos & fructus sunt caloris aurei, extractis quatuor elementis secundum ingenium primi libri: & de elemento ignis pone in dictam aquam seu quintam Essentiam quantitatem vnius grani tritici, & statim cum habebit illud in stomacho, resurget & loquetur: Et deinde eum conforta cum administratione quintæ Essentiæ, & curabitur, vbi Deus nõ iubeat eum mori. Et dico tibi quòd hoc est sublimius magisterium quod sit in tota transmutatione naturæ: & ad hoc nullus medicorum nostri temporis peruenit. in vsu autem huius magisterij necesse est tibi fore præparatum in rebus & cet.

Reme-

Remedium tertium in cura lepræ & eius occultatione. Cap. III.

QVoniam iuſtus Deus in pœnam peccati nobis inflixit infirmitatum grandium percuſſuras & inter alios morbos plaga lepræ deteſtabilis eſt humano generi & ignominioſa, & difficilior aut impoſsibilior eius cura: quoniam aliquando immittitur à Deo, vt lepra Conſtantini Magni, & Giezi, quæ nunquam curari poſſunt niſi virtute Dei eandem infligẽtis. Nos verò hîc loquimur de plaga lepræ quæ hominibus ex naturæ corruptione naſcitur, non efficaci imperio creatoris illam permiſsione creantis. Et hic morbus poteſt dupliciter eſſe: vno modo à patre aut à matre leproſis: alio modo vt aliquis quatuor humorum (imò vt maſſa ſanguinis) principalium putrefiat & corrumpatur in nobis. Primus modus quando eſt à generante, aut eſt difficilis aut impoſsibilis omnino nobis ad curandum. Secundus modus dicitur etiam, quando nimis proceſsit, difficilis,

ſed

ſed non impoſsibilis ad curandum: & iſto modo hîc intendimus de cura lepræ. Et quia iſtud capitulum & eius virtus eſt ſupra quàm credi poteſt mirabile, quia accidit caſus lepræ etiam maximis & potentibus viris, recipe cum gratiarum actione à Deo hoc cæleſte arcanum: & ſcito, quòd eadem quinta Eſſentia iam dicta cum additione quintæ Eſſentiæ auri & perlarum, perfectè curat. aut ſi nimis proceſsit toto tempore vitæ hominis diſſimulat plagam lepræ. Et cauſa huius eſt, quia humores corruptos corrodit & vaſtat, cuiuſcunque conditionis exiſtant, & humores inæquatos æquat, & humores ſanos debiliatos confortat: & in caſu quo ſubito accideret plaga lepræ, vtatur aqua ardente, donec quinta Eſſentia fuerit præparata: quia dico tibi in Chriſto Ieſu, quòd non ſolùm quinta Eſſentia ſurpradicta ſanat ſed etiam aqua ardens lepram aut totaliter extinguit, aut diſſimulat eam. Et dicam tibi arcanum magnum & vtile in magiſterio curæ lepræ: accipe aquam factã ex fragris, ſunt enim fructus Maij

mensis, redolentes, & aqua illa in cura lepræ habet supra cæleste virtutem. Et scito quòd vnà cum quintaEssentia prędicta curat lepram modo mirabili: & cũ aqua vitæ, si non habes quintam Essentiam, bene operatur. Et expertus sum illam aquam esse summè humanam confortans naturam, & stomachum, expellens venenum à corpore, & menstrua prouocat, humores ardentes expellit, & conceptui multum confert. Dicta aqua magisterij fragorum sic fit: Recipe fragra matura, & pone in vase facto de iuncis, & dimitte putrescere: aquam distillatam in phialis recipe, & vtere ea. Virtutes eius aquæ sunt, quia maculas oculorum recentes de vtroq; humore frangit, dummodo causa calida nõ multum excedat. Lachrymas in vtraq; causa exiccat: visum de vtraque causa impeditum clarificat. Et ego vidi mulierem recenter in tota facie pustulis lepræ ex calefactione percussam, quæ sola lotione huius aquæ fuit statim quasi miraculosè sanata. Et nota quòd eius virtus est in centuplo mirabilior & efficacior

cacior

cacior cum aqua ardẽte, quàm ſine ea: & multo plus cum quinta Eſſentia. Serua iſtam, quia non errabis, ſi voluerit Deus, nec erit tibi opus vti alio medicorum opere.

Remedium quartum contra omne genus ſcabiei, & læſuram eius. Cap. IIII.

AQua diuinæ actionis quam te docui facere diligenter in primo libro in ſcientia octaua quę incipit, Beatus Deus creator &c. Sanat omne genus ſcabiei & exituræ in cute, & cruſtas in manibus, brachijs, collo, capite, ſcapulis, coxis, tibijs ac pedibus, & omnibus membris tollit & curat. Vel quando pauperes Euangelici vadunt prædicando per mundum, & læduntur in pedibus, cũ ſolo tartaro calcinato ſtatim ſanabuntur: quia habet vim quintæ Eſſentiæ, cum ſit eiuſdem naturæ. Nam aqua diuinæ actionis, omnem impetiginem & ſerpiginem ſanat. neceſſe eſt enim tales vti quinta Eſſentia ſupradicta, vel ſaltem aqua ardente, vt humores interiores purgentur, & ad concordiam reducantur. Ad purgandum hu-

mores qui peccant prout conuenit, inferius destinguetur: quas res purgatiuas accipias de canonibus (aut capitibus) primi libri.

Remedium contra paralysim. Cap. V.

OMnes concordauerunt in hoc, quòd paralysis fit ex abundantia humorum viscosorum claudentium meatus virtutis animalis motiuæ ac sensitiuæ. Et dixerunt omnes quòd ea quæ vritiua nimis & desiccatiua sunt & calida, nocet in eius cura: sed oportet curatiua huius morbi esse calida, humida (potius sicca) temperata, incisiua viscositatis, & paulatim attractiua, & confortiua neruorum. Et quia nullum tale in tota natura potuit reperiri, pauci fuerunt qui scirent hanc infirmitatem, maximè quia est vniuersalis, curare: quia omnia incisiua & euacuatiua sunt debilitatiua vt plurimum, & membra debilitata nimis, cum talibus destruuntur. Sed conditor noster Deus gloriæ, creauit in adiutorium hominis paralytici quintam Essentiam supradictam,

ctam, quæ ſupra omnia in hoc mundo vſui corporis creata confortat, reſtaurat, & temperatè agit. Affige in eam quintam Eſſentiam rerum quarundam purgantium phlægma & viſcoſos humores, ſicut modicum euphorbij & turbith, aut ſambuci, vel croci hortenſis id eſt carthami, (ſeu cnicos): & tunc ſine dubio, ſi morbus eſt curabilis & impedimentum non fuerit ab imperio Dei, ſanabitur paralyticus homo (quod dictu mirabile eſt) cum confortatione & reparatione naturæ: vt facias ei ſtupham calidam & humidam cum herbis iua & ſaluia, quæ habent vim diuinam & ſupercæleſtem ad confortandum iuncturas, & neruos, & muſculos, ac virtutem motiuam: & ſi non habes quintam Eſſentiam præparatam ad manum, vtere aqua ardente, donec præpafaueris eam: quia ſine dubio aqua ardens eſt radix infallibilis curationis corporis & ſalutis animalis contra omnem morbum, maximè ſi, vt dixi, fuerit illi adiuncta quinta Eſſentia. Continua remedium, quia morbus grauis indiget non

breui tempore: ſed ſanabitur qui in labore curę longo tempore perſeuerat.

Remedium contra conſumptos in toto corpore, & nimium macilentos, ſicut ſunt homines raræ complexionis, mulieres delicatæ, phtiſici. &cet. Cap. VI.

Et autem omnium horum cura infallibilis cum quinta Eſſentia: iam enim dixi quòd naturam debilem confortat, deperditam reſtaurat, reſtauratam conſeruat. Et ſi carnes notabiliter in corpore nimis macilento & conſumpto reſtaurare deſideras, extrahe de herba chælidonia quatuor elementa ſecundum magiſterium primi libri (nã chælidonia eſt perfecta ad faciendum pingueſcere) & elementum aeris, quod eſt oleum bonum, miſce in quinta Eſſentia vel in aqua ardenti: & infra paucos dies erit vtens miraculosè reſtauratus, & pinguis ſupra quàm credi poſsit. Non eſt res quæ in hac cura his remedijs valeat comparari. Inferius te docebo in cura febris acutæ cibum confortatiuũ, quo vti debent hectici, phtiſici, & macilenti.

Remedium

Remedium contra phantasticas paßiones, imaginationes, & fatuas dæmonum infestationes & tentationes. Cap. VII.

CErta experientia docet homines cholericos quibusdam esse imaginationibus deditos, phlægmaticos quibusdam aliis, & aliis sanguineos occupatos: Sed eos qui nigra bile abundant, hi sunt qui super omnibus horribilibus cogitationibus inuoluuntur. Humor enim ille adeò plenè ascendit ad cerebrum, & potentias cerebri omnes turbat, imagines nociuas generat, & turbam horribilium cogitationum vigilãdo & dormiendo inducit. Et huiusmodi sunt, in quorum generatione siue dispositione corporis fluxit infortunium Saturni, & maximè si fuerit mali esse: talibus enim hominibus dæmones libenter asistunt, & suas tentationes occultas intra concursus cogitationũ ministrãt. Et hi sic afflicti cogunt à pasionib. secũ contẽdere, secũ loqui, secũ disputare, etiã vt à circumstãtibus audiantur. Et hi sunt qui tam à pasionibus melancholi-

cis quàm à dæmonibus vexati, aliquando desperant, & semetipsos occidunt. Cura omnium horum est sine dubio (nisi fortè morbus efficaci Dei imperio ministretur) donec sentiant se penitus curatos, vt vtantur supradicta quinta Essentia, vel optima aqua ardente, donec quinta Essentia habeatur: & in aqua ardente pone modicum senæ vel fumiterræ aut medullæ ebuli, aut lapidis lazuli: & discretè vtaris, quia sine dubio sanaberis perfectè. Quia non solùm quinta Essentia perfectè sanat, sed etiã aqua ardens cum aliquantulo eorũ quę choleram nigram expellũt, & choleram nigram superfluam purgant, splenem sanat, turbationem cogitationum tollit cor triste lætificat, cerebrum & omnes eius potentias mundificat, lætas cogitationes inducit, artificium tentationis dæmoniacæ aufert, & imaginationes desperatiuas annullat, ac facit malorum quorunque obliuisci, & homines ad sensum naturalem reuerti.

Remedium

Remedium contra timorem & inconstantiam ac destructionem cordis & amißionem fortitudinis: & magisterium ad reparandum audaciam, fortitudinem, & virtutem.

Cap. VIII.

NOn dixi tibi in vanum, quòd nec intellectus poteſt capere, nec noſtra lingua narrare, miraculoſas virtutes quas creauit Deus quinta Eſſentia: & non ſolùm in ea, ſed etiam in eius matre, ſcilicet aqua ardente. Recipe ergo pæoniam & herbam (vel radicem) angelicam quæ aliter dicitur angelaria, & crocum & quintam Eſſentiam auri & perlarum, & miſce cum quinta Eſſentia: nam ſubito quaſi miraculosè, ſi homo, qui nimio terrore correptus eſt, hæc ſumpſerit, timorem amittet, fortitudinem ex timore perditam recuperabit, audaciam aſſumet, mortem contemnet, in periculis non paueſcet, ſupra modũ efficietur audax, ita vt appareat hominibus quòd ſit muros ferreos penetrare paratus. Experto crede, quia pro certo verum & certum dico expe-

rimentum probatum: ideo est cautela vt princeps populi Christiani in ordine bellorum habeat sic in dolijs aquam ardentem paratam, vt cuilibet pugili tribuat medium scyphũ vel circa in principio bellicosi congressus: & debet hoc arcanum omnibus inimicis Ecclesię occultari: imo nec princeps, nec alij ministrantes debent hoc alicui reuelare.

Remedium ad malcficia & dæmones fugandos. Cap. IX.

SCriptura sacra in libro Tobiæ capitulo sexto nos manifestè docet, virtute creata à Deo in animalib. posse, imò de facto, dæmones fugari, & ab habitatione domorum expelli: sicut ex præcepto angeli Raphaelis capite octauo posuit partem iecoris supra carbones & dæmonem fugauit. Et Raphael angelus cap. sexto dicit, Cordis piscis particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos. Et fel valet ad vngendum oculos in quibus fuerit

albugo, & sanabuntur. Ergo virtus in rebus corporalibus à Deo creata, est vigorosa ad fugandum omne genus dæmoniorum siue à viro siue à muliere: Et est quæstio maxima quã doctores theologi mouẽt, Vtrum per talem virtutem à Deo in rebus corporalibus concreatam, possint dæmones in rei veritate fugari? Et nullus est quem viderim aliquid sentire nisi quòd, quantumcunque per talem vim corpus nostrum disponitur vt dæmones non inueniant humorem melancholicum, vel aliter aptum ad operandum in nobis per talem virtutem, aliter dæmones non fugantur à nobis. Sed quicquid homines opinentur, hoc est fideliter tanquam dogma catholicum confitẽdum à nobis, quòd si cordis piscis illius particulam super carbones ponamus, fumus extirpat omne genus dæmoniorum: siue à viro siue à muliere, ita vt non accedat vltra ad eos. Et sic euasio loquentium ad quæstionem satisfacere non videtur. Et ipsi verterunt in quæstionem hanc rẽ, quia viderunt dæmones fore spiritus sine

corporibus: & non potuerunt capere quòd virtus corporales actionem violentam posſit inferre naturaliter in ſpiritualem ſubſtantiam angelorum. Quibus nos dicimus ęcõuerſo, quòd Deus gloriæ concreauit in ſpiritibus angelicis & ſpiritu hominis quandam potentiam ſenſitiuam, non carnalem ſed ſpiritualem, per quam ſubijcitur paſsionib. rerum corporalium, vt actioni ignis infernalis: & hęc eſt fides noſtra. Et quòd ſpiritus noſter poſt ſeparationem à corpore habeat talem potentiam ſenſitiuã non carnalem, ſed ſpiritualem, per quã ſubijcitur paſsionibus: non eſt ſententia mea, ſed expreſſa vox doctiſsimi Auguſtini, ſicut in libro de Spiritu & anima expreſſè docet. Et quia in hoc decepti ſunt communiter opinantes, vt non cogitarent quòd corpora non agunt in ſpiritum ſecũdum actiones corporum quæ corpus non ſunt: ſed res ſpiritualitate agentes, poſſunt comparata actione ſenſibili primò ſpirituum angelicorum & humanorum, proportionaliter applicari, nõ debemus propter eorum

debiles

debiles coniecturas à veritate textus deuiare:sed si modum agendi non capimus, debemus animum nostrum captiuare in obsequium Christi, & honorem scripturæ Dei. Et vt homo Dei capias clarè quæ dico, credo omnem hominē catholicum aduertere, quòd nulla res creata sit spiritualiter simplex ea simplicitate qua dicitur simpliciter esse simplex: quòd si sic est, ergo omnis res creata declinat & cadit à simplicitate diuina. quid ergo mirum est si omnis spiritus angelicus, qui licet longum, latum & profundum corporales dimensiones non habet, etiam aliquid sine corpore potentiæ sensitiuæ, per quam ab actionibus quæ non sunt corpora, sed formę potius, statim patiatur? Omni intellectum habenti apparet fore phantasticum contrarium affirmare. Dico ergo cum angelo, quòd actiones rerum quarundam corporalium, omne genns dæmoniorum extricant, & totaliter eos fugant: & quædam actiones eis displicēt, quædam eis placent. non credas me talia asseuerare de nouo, Nam in collatio-

nibus patrum quidam ſanctus abbas aſ ſerit, quòd aliqui ex ſpiritibus immundis carnalibus libidinibus & coitibus hominum & mulierum pariter delectãtur, licet ex ſe, quia corpora non habent ſemen corporale non habeant, vnde poſsint naturaliter generare: aſſummũt enim tantùm effigiem corporum mulierum, & cum viris coeunt, & ſemen eorum recipiunt: deinde hominum ſimilitudinem aſſummunt, & cum mulierib. coeuntes generant filios ex ſemine humano. Qualiter diceret ergo ſanctus abbas quòd in talibus obſcœnitatibus delectantur, niſi quia habent ſpiritualem potentiam in qua ab actionibus patiuntur? Dimittamus opinantes in vanum & dicamus, quòd manifeſta experientia docet: dęmones delectari rebus quæ ſunt de Saturni complexione ac Lunæ & Martis potiſsimum. & hoc ad oculum probant operatores artis magicæ, qui communiter in operationibus nocumenti & mali obſeruant conſtellationes duorum malorum planetarum Saturni & Martis, & etiam Lunæ, vt patet

tet in his qui frequenter malè à dæmonio vexantur, ſicut patet in caducis & aliĳs qui ſecundum fluxum & motum Lunæ læduntur: nam & omnia opera necromantica apta ad præcantandum ſunt ſub obſeruatione Lunæ, & aliter non valerent, nec dæmones incantationibus aſſiſterent, nec eis in ſuis læſionibus opē ferrēt. Et quia Saturnus habet influxum plumbicum, terreum & nigrum, obſcurum, occultum, fœtidum, influens ſuper loca terrena, nigra, & fœtida, & ſyluas nigras, & habitacula ſolitaria, horribilia, libenter dæmones in his omnibus conuerſantur: ſicut probatur in collationibus patrum. Et quia Luna habet influxum ſupra noctem, & humiditatē nimiam, & vias, & itinera quatriuia, in talibus dæmones conuerſantur, & ſuis ſectatoribus demonſtrantur. Ea autem quæ ſunt de natura Iouis pulchri & benigni, & Solis, eis diſplicent (vt lucifugis) & eis aduerſantur, & naturaliter ea fugiuut, & eorum influxum abhorrent. Manifeſtum eſt autem quòd res quæ ſunt in hoc mundo quæ-

dam ſunt quæ gloriam cæleſtem præfigurare videntur, & quædam quæ præfigurant ſtatum æternalis gehennæ. Sol enim & Iupiter, aurum & omnia quæ lætificant præfigurant ratione luminis, claritatis & lætitię, gloriam magni Dei. Et Saturnus niger, & Luna maculoſa, & nigra, & carceres nigri, præfigurant conditionem inferni: Et hinc eſt quòd ſicut dæmones ſunt damnati, & ira infernali pleni, habentes odio gloriam & charitatem Dei realem ſcilicet beatorum, & figuralem ac participatiuam mundanam, ipſi habent odio Solem & claritatem eius, & omnia quæ lætificāt, & per modum veſtigij figurę vel imaginis participant gloriam & imaginem paradiſi. Ideo abhorrent cælum & habitationem cæleſtem, & naturaliter ſibi complacent in tenebris & in vmbra, in ira, triſtitia, melancholia, & in rebus alijs quæ prætendunt complexionem inferni. Sed vide hoc, cum quinta Eſſentia noſtra ſit cælificata & ad tantam fragrantiam perducta vltra quàm credi poſsit vt quaſi videatur gloriam partici

pare

pare paradiſi, & hominem lætificare, & triſtitiam phantaſticam quam dæmones amant, fugare poſsit, manifeſtum eſt quòd conditionibus dæmonum cõtradicit, & eos ab homine & muliere extricat & expellit. Maximè autem hoc efficacius fiet cum quinta Eſſentia auri & perlarum, & ſemine herbæ quæ vocatur hypericon ſeu perforata, & in vulgari Aquitanico tranſcalam. Illud enim ſemen à Philoſophis probatiſsimis vocatur fuga dæmonum: & eſt pluries expertum quòd illud ſolum ſemen dæmones infeſtos expellit ab habitationibus domorum. Et tempore noſtro incubum dæmonem à quadam puella fugauit. Et fortior operatio eius eſt, ſi ſolùm ſemen colligatur cum herba: fert enim in ſe influxum Iouis & Solis & planetarum, quorum influentias dæmones deteſtantur, rationibus ſupradictis. Et quia Scriptura ſacra in libro Tobię nec alibi nõ nominat piſcem illum cum cuius corde, iecore, & fumo eorum dęmones expellantur, labor Philoſophorum multis experimentis adinuenit, quòd ſi

fel alicuius piſcis & maximè ſaringerij (vel ſarigij) habeatur in pyxide iuniperi & aliqui incantati vel à diabolo maleficiati & faſcinati cum ibunt dormitum ponant illud ſuper carbones vt domus fumo impleatur, omnes faſcinationes & maleficia dæmonum & ipſi dæmones expelluntur. Et virtus iuniperi eſt maxima & valde mirabilis: ita vt ſi facias ignem de lignis iuniperi, & de cineribus illis vnum viuum carbonem ex lignis iuniperi cum modico ligno cooperias ſicut vnum titionem ardentem, fertur quòd poſt annum inuenies ignẽ: quod valde mirum eſt. & eius gummi, & omnia quæ ab ipſo procedunt, ſunt valde virtuoſa: & eius gummi eſt illud cum quo ſcriptores ſcribunt, ſpargendo ſuper pergamenum: Et virtus eius non poteſt in vno anno exhauriri & cõſumi ab igne, eo quòd habet nobile humidum radicale & vitæ noſtræ vtile, eo quòd à planetis optimis recipit influxum. Et Philoſophi dixerunt pluribus experientijs informati, quòd fel ca-

nis nigri masculi tantum fœtet & displi
cet dæmonibus, vt si in domum asper-
gatur, statim maleficia cessant, dæmo-
nes fugantur, nec fascinationes pote-
runt in ea fieri. Et dixerunt in tanta eos
abominatione habere sanguinem ca-
nis nigri, quòd si ex eo parietes domus
aspergantur, & domus ipsa ab omni ma
leficio liberabitur, & dęmones fugient.
Cæterùm si maleficia sint acubus, qui-
bus suuntur in pannis eorum mor-
tui, vel ex fabis, vel ex alijs fructibus, ab
ijs qui faciunt maleficia destrui procu-
rentur, vel habitaculum relinquatur, si
per modos naturales supradictos sana-
ri non possunt. Et Philosophi dixerunt
quòd si claudas intra cannam argẽtum
viuum, & cooperias eum & occultes se
cretè sub lecto maleficiato, efficacia fa-
scinationum cessabit. Catholicum au-
tem remedium est, vt ab exorcistis &
præsbyteris qui potestatem ab Eccle-
sia receperunt, ipsos in virtute Iesu Chri
sti fugare. Et omne remedium ab Ec-
clesia prohibitum, est euitandum. Et
hæc quæ dicta sunt Ecclesiæ sunt re-

linquenda, vt de eis discutiat ac iudicet.

Remedium contra pediculos, & prurigines, & supercalefactiones in corpore humano.
Caput X.

FOmentum generationis pediculorum, & pruriginum, & calefactionũ in corpore, est humorum putredo. Humores enim putrefactos emittit natura per poros cutis, & in orificio pororum ex humoribus corruptis generantur vermes, prurigines, & calefactiones cutis, quæ vexant, & hominem dormire non sinunt. Et quia ista ex corruptione nascuntur, non est aliquid in mundo medicinale quod melius curet, quàm illud quod à putrefactione præseruat, & humores corruptos cõsumit, vt nostra quinta Essentia: quam si non habes ad manum, vtaris loco eius optima aqua ardente, quia in ea est virtus Dei, vt eius iussu non sinat putrefacere carnes mortuas & pisces, si ponantur in ea. Propter quod concluditur, quòd si seruare potes in ea res mortuas quòd sint sine

putre-

putrefactione vel corruptione, multo fortius carnes viuę à corruptione seruabuntur: & istud est quod putrefactioni & prurigini repugnat. Et cum ab inimicis meis iniustè in obscuro carcere tenerer, quia corpus meum à malitia ferramentorum & carceris corrumpebatur, ingeniaui, benignitate seruitoris, habere aquam ardētem à quodam viro Dei & amico meo: & sola vnctione cum ea facta circa locum, curatus fui. Sed ego docebo te centuplicare vim eius: quoniam si infra aquam ardentem immisceris argentum viuum & staphisagriam, augmētabitur virtus eius ad pediculos necandos, in tantum, quòd solo odore fugantur, ac etiam perimuntur. Nam solus odor argenti viui est eorum mortale venenum: ita vt ibi Dei virtus miraculosa appareat manifesté. Et si argentum viuum in albumine oui immiseris motu forti eum agitando, seu mortificando, & inde cimossam (lembum) lini vel panni imbiberis, & cimossam in pānum lineum sueris ne cadat argentum viuum, & illud cinctum vel aliter super

te portaueris, omnes fugient pediculi, morientur, & cadent, quod est mirabile: & si staphisagriam immiseris, fortior erit virtus eius. Sed aliquando infirmitas est incurabilis, vt in Herode, quem percussit Deus pœna illa, quòd vermibus est consumptus. Item quidam Imperator nullo remedio à pediculis curari potuit, vt in chronicis Romanis apparet. Ego autem detexi possibilem curam per quintam Essentiam, vel per aquam ardentem, quæ accipiatur in potu, & de ea corpus vngatur, & in illa cũ qua corpus vnges, argentum viuum & staphisagria misceantur.

Remedium ad expellendum venenum & euitandum. Cap. XI.

PLAGA veneni curatur cum hoc quod potentissimè contrariatur ei: quid est quæso quod morti contrariatur nisi vita? Ergo nihil fortius creatum in mundo contrariatur veneno quàm aqua vitæ, & potissimè quinta Essentia quam dixi. labora satis, quia nihil est fortius in hoc mundo quod cõ-

trarietur

trarietur mortalibus & letiferis venenis quàm aqua vitæ, quæ est aqua ardens, & maximè eius quinta Essentia, quia conseruat vitam & augmentat, cor custodit, quia statim cum est in stomacho currit ad cor, & reprimit læsuram. Et quia est fortissimæ actionis, commisso prelio cum veneno, ipsum pellit extra corpus, vel saltem fugat à corde. Infunde ergo in quinta Essentia qualitates contrariantes veneno & quæ cor confortant, vt quintam Essentiam auri, perlarum, croci, pæoniæ, angelicæ, nucum, alliorum, theriacæ optimæ, fœniculi, raphani, rutæ: & augmentabuntur virtutes eius: nec non & omnes lapides qui sunt vtiles ad expellendum venenum pone infra quintam Essenttam, vel aquam ardentem, & obtinebit vim & proprietatem eorum, & multiplicabitur virtus eius, quoniam aqua ardens augmentatur virtute lapidum preciosorum, & trahit ad se occultas naturas & actiones eorum: & vltra remediũ quantum ad medicinã naturalem est vt quintam Essentiam omnium rerum quæ re-

pugnant veneno apponas in aqua ardente, vel in quinta eius Essentia. Hanc cælestem medicinam cum ipsam reduxeris ad perfectum, pone in vase vitreo bene clauso, vt nullo modo possit vaporare: & cum timebis à veneno infici à suspectis famulis vel inimicis, statim de mane modicum sume in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agens Deo, & nihil tibi nocebit atrocitas veneni. Et si vlterius times à veneno, omni mane recipe modicum in Christi nomine.

Remedium contra quartanam & omnes paßiones quæ oriuntur à melancholia.
Caput XII.

APud vniuersum orbem ille medicus habetur maximus inter alios, qui intra paucos dies potuerit ab homine fugare quartanam: quia infirmitas illa ex nimia diuturnitate occidit diuites, damnificat pauperes, impedit famulos, & mortem frequenter inducit. Et quidam qui se prædicant maximos, fingunt se posse eam citò fugare

cum

cum nil ſit: ſed ſuam ipſorum ignorantiam occultare nituntur, dicentes, non eſſe vtile quod curetur: cum valde mortale ſit quod ſeruetur. Et omnes concordant in hoc, quòd quartana generatur ex abundanti melancholia quæ corrumpitur intra corpus: & eſt humor terreus, & de natura tardus, & durat in pluribus vltra annum. Si ergo vis in breui ipſam curare, ſola quinta Eſſentia hanc curat. Iam dixi quòd humores corruptos expellit, & naturam reducit ad æqualitatem, & fugat triſtitiam, & inducit lætitiam: igitur remota cauſa febris humor corruptus, remouetur & eius effectus. Sed vt ſubitò fiat, hæc eſt eius cura: ſi non habueris quintam Eſſentiã, recipe optimæ aquæ ardentis lib. 1. intra quam aquam ponas medullæ ebuli & maximè albi, & de illa aqua da patiẽti manè & ſero duas plenas nuces vel minus, & certè curabitur ſi continuetur donec ſit curatus. Et licet hoc ſit veriſsimum & expertum, tamen conſulo vt vadas ad canonem nonum libri primi, & ibi recipe in tabulis quancunq; rem

volueris ex his quę purgant melancholiam, & pone modicum in aquã ardentem, & ea vtere, prudenter & modicum recipiendo, donec materia concoquatur: quia vtilius eſt paulatim agere, quàm ſubitò grauare naturam. Dixerunt Philoſophi quòd dens extractus ab animali viuo, liberat à quartana ſi portatur. item dixerunt, quòd ſi ſuccus herbæ quæ dicitur morſus gallinæ, rubeæ, ponatur in naribus patienti quartanam, quando incipit pati, curatur.

Remedium contra impedimenta medicinæ, & pericula quæ à medicina contingunt in corpore humano. Cap. XIII.

AB origine orbis vniuerſa naturaliter philoſophantium multitudo grauiſsimo labore non deſijt indagare circa medicinas laxatiuas inuenire tria: primò vt non faciant caſum virtutis: ſecundò vt non interficiant: tertiò cum fuerit neceſſe efficaciter & ſine periculo in remotis partibus agant & ab eis potenter corruptos humores abducant; & nunquam hæc tria inueni

repo-

re potuerunt perfectè: quoniam omnis euacuatio habet oculum ad casum virtutis, debilitatem corporis, læsionem luminis, & annexa: & nunquam ita certa mensura potuit inueniri, quæ æquo põdere posſit omnibus miniſtrari. Quia corpora non recipiunt æqualiter actionem doſis in raris, denſis, & ſolidis. Et ideo fequenter accidit, vt quod quibusdam miniſtratur ſalubriter, aliĳs letaliter propinetur ad mortem. Et fit aliquando, vt quia medicinæ plures laxatiuæ ſint etiam venenoſæ, lædant ex vna parte, & ex alia ſanent. Et inter medicos ſolennes aliqui ſummè laudauerũt aloen, eo quòd minus videtur facere caſum virtutis, & membra cõfortare probatur, ſicut patet ex Meſue in libro ſuo de Simplicibus medicinis. Sed omnipotens Deus creauit quintam Eſſentiã aquæ ardẽtis per vas circulationis ſummè rectificatam, vt in primo libro docetur: quę vnà cum quinta Eſſentia auri & perlarum, omnes humores æquat, & interficit omnes febres cum admiſtione rerum quæ humores corruptos purgãt

si fuerit necesse vt misceantur aliquando ratione horribilitatis & fortitudinis morbi, dum cautè & prudenter fiant, omnia supradicta inconuenientia vitat: quia quinta Essentia & etiam aqua ardens, si quinta Essentia haberi non potest, conseruat naturam & eam augmentat, & casum virtutis fieri non permittit. Item quia ipsa influit vitã. interfectioni medicinarum etiam contra facit, dum tamen modestè laxatiua ministrentur cum ea. Et etiam quia omnibus nobilior & penetrabilior est, omnes medicinas laxatiuas secum ducit efficacissimè ad membra longinqua, & ad loca profunda, & ab eis locis remotis miraculosè humores nociuos educit. Est & aliud quod nunquam medici potuerunt perfectè vitare in ministratione medicinarum laxatiuarum, scilicet ne aliquando expellantur per vomitum, & perdatur iuuamentum sanitatis, & beneficium & labor ministrantium. Sed hoc per quintam Essentiam euitatur, vel per aquam ardentem: nam quia sola quinta Essentia rerum laxatiuarum in nostra quinta

Essentia

Eſſentia vel in aqua ardente ſpecialiter miniſtratur, nulla nauſea in ſtomacho generatur, vt ſpeciale quod aſſumptum eſt vacuetur. Poſsibile tamen foret, vt humores corrupti congregati in ſtomacho vacuentur etiam vomendo. Confert etiam in hoc, quòd multæ ex medicinis multum habent venenum, & per eum lædunt aliquando: & quia aqua ardens & quinta Eſſentia venenis repugnant, non vt à venenis earum aliquod detrimentum natura patiatur. Nunc autem volo dare remedium contra pericula quæ poſſunt accidere in miniſtratione medicinarum laxatiuarum cum quinta Eſſentia, vel cum aqua ardente. Iam enim docuit primus liber quòd medicinæ laxatiuæ multò viuacius agunt cum quinta Eſſentia vel cum aqua ardente, quàm agerent ſine. Sed cum hoc ſit veriſsimum, ita patet quòd quãtitas medicinæ quæ aſſignatur ab vnoquoq; accipienda ſine damno mortis à ſummis medicis, ſi miniſtretur cum aqua ardente hominem interficeret, quia in decuplo plus ageret quàm per ſe ageret

medicina. Et vt mihi credas, dabo tibi exemplum. Infirmabar grauiter in pectore & repletione viſcoſorum humorum, & dictaui fieri pilulas ex hierapicra & euphorbio minutas ad modum cicerum, & tres pilulas tantùm ex his poſui in modico aquæ ardentis, quas tres ibi cum digito conterui, quam aquam recepi tarda hora valde, fortè in fine tertiæ horæ noctis, & operata eſt medicina poſt mediam noctem, & ferè miraculoſè decem vicibus ante diem: poſt verò quietè dormiui, & verè ſurrexi ſanus & hilaris, & non debilitatus in viſu nec in membris.

Conſiderent ergo perfecti medici, quòd ſi decem ex illis pilulis valde minutis recepiſſem ſine aqua, non tantum operatæ fuiſſent, quantum ſolæ tres cũ auxilio aquæ ardentis. Eſt ergo cautela adhibenda, vt prudens medicus cum aqua ardente vnam tantùm pilulam patienti miniſtret, & probabit quantum agit vna, deinde duas miniſtret, deinde tres, donec ſine periculo experimentum recipiat medicinæ, pariter & perſo

næ

næ ſanandæ: quo modo & quantum medicina agit in talem perſonam puta denſam vel raram: aliter autem nunquam poteſt dari regula generalis qualiter poſsit dari æqualiter omni perſonæ de quacunque medicina. & ex hoc apparet quanta vtilitas eſt tibi medicinam recipere cum quinta Eſſentia vel cum aqua ardente: quia non debilitat naturam, nec viſum, nec interficit. Sed prudenter probes virtutem: educit à remotis, præſeruat à venenis medicinarum, nec euomitur: ſed parum venenoſorum recipiatur, & verè corpus ſanatur. Voco igitur iſtud capitulum Clauē artis: ſine cuius claro intellectu, per iſtum librum nunquam medicinas laxatiuas miniſtrare præſumas.

Remedium contra febrem continuam, & cura eius. Cap. XIIII.

OMnes viri Philoſophici decreuere febrem continuā generari ex putrefactione ſanguinis & corruptione humorum; in ea igitur, cura eſt

ſanguinem purgare, totam eius corruptionem remouere, humores inordinatos & inæquatos æquare, naturam lapſam reparare, & reparatam conſeruare. Sed omnia hæc perfectè operatur & complet quinta Eſſentia: ergo ipſa eſt quæ perfectè curat febrem continuam ſupradictam. Experientia enim ad oculum docet, quòd aqua ardens emittit à ſanguine humores aquoſos & corruptos, & carnes mortuas à putrefactione præſeruat: ergo multo magis ſanguinem corporis viui & animati à putrefactione ſeruabit.

Et ſi aqua ardens ad plenum ab ardore quatuor elementorum depurata nõ eſt, non conſulitur in cura febris continuæ eius vſus: ſed quinta Eſſentia eius rectificata, cum non ſit calida nec humida, frigida nec ſicca ſicut quatuor elementa, ipſa plenè & ſecurè, ſanat febres continuas, maximè cum quinta Eſſentia auri & perlarum. Quòd ſi vis eam perfectè curare, habeas quintam Eſſentiam ſanguinis humani ſummè rectificatam ſicut docet primus liber. Ipſa eſt enim

enim quæ febrem perfectè curat, non solùm bibita, sed etiam si cum ea, tempora & vbiq; in corpore venæ pulsatiles inungantur. Si ergo istas duas quintas Essentias iungas, veram medicinam habebis. Quòd si curam eius vis augere, pone in quinta Essentia cassiam fistulam vel succi mercurialis in proportione prudenti, & habebis iuuamentum (vel intentum) perfectũ in cura. Quòd si alij humores peccant cum sanguine, appone ex tabulis quintas Essentias eorum quæ competunt in cura, & adiuuabit te Deus si rogaueris eum. Pone ergo in corde tuo quæ dicta sunt & non deficies si egeris prudenter secundum regulas tibi datas tam in primo quàm in secundo.

Remedium contra febrem tertianam, & eius cura. Cap. XV.

TErtiana febris ex nimia abundantia choleræ rubeæ ac putrefactione causari à sapientibus est probata. Quòd si curare illam subitò volueris recipe quintam Essentiam, vel si nõ ha-

bes eam, recipe aquam ardentem, & in ea pone modicum rhabarbari, vel aloes Cretensis, seu aliam rem ex tabulis primi libri de choleram rubeam purgantibus, & bonam quantitatem endiuiæ & herbæ quæ caput monachi appellatur, & manè & sero ista aqua vtatur, & sine dubio curabitur citò.

Remedium contra febrem quotidianam, & cura eius. Cap. XVI.

VNiuersi magistri cõcordãt, quòd febris cotidiana generetur ex putrefactione phlægmatis & eius abundantia: & cum phlægma sit frigidum & humidum, quinta Essentia autem nostra, & in eius absentia aqua ardens, habet vim vt inordinatam & nimis frigidam & aquosam putrefactionem humidam eradicet & curet: pone igitur in ea modicum euphorbij iuxta regulas sapientum, vel sambuci vel aliorum quæ phlægma purgant ex tabula primi libri, & vtere manè & sero, & ad salutem, Deo dante, peruenies.

Remedium

Remedium contra febrem acutam & cura eius, ac phreneticorum & amentium & stultorum cura. Cap. XVII.

ET quia expedit in magisterio medicinæ vniuersa tam verba quàm opera pōderare prudenter: quia aqua ardens ascendit ad caput, & libenter inebriat, cum febris acuta specialiter vigeat in capitis regione (ob vapores ascendentes) excluditur à magisterio curæ febris acutæ. Est ergo tibi necesse quintam Essentiam nostram rectificatam sumere cum quinta Essentia auri & perlarum: & ex alia parte habere quintam Essentiam sanguinis humani bene rectificatam: & hac vtere in nomine Iesu Christi, mittēdo sextam partem supra decem nostræ quintæ Essentiæ prædicta cum quinta Essentia aquæ rosaceę, & etiam violaceæ, & boraginū, & lactucarum, & habebis profectò cælestem medicinam in vera cura eius. Et cum febris acuta communiter generetur ex violenta bile flaua, adustissima, & sanguine adusto, & bile nigra adusta, &

aliquando vno ex istis, & aliquando simul ex duobus, aliquando simul ex tribus: Et secundum hoc febris acuta in gradu positiuo, comparatiuo, & superlatiuo à sapientissimis est reperta. omnibus ponderatis, quintam Essentiam sanguinis (quia à tota specie adustioni repugnat) cum parte sexta quintæ Essentiæ nostræ prætactæ dabis patienti, & curabitur citò, opere Dei. Cum autem videbis conualescere modicum patientem, pone in quinta Essentia sanguinis quintam partem de quinta Essentia nostra: Et postea in ampliori conualescentia quartam partem, deinde tertiam & postea medietatem, deinde minus de quinta Essentia sanguinis, donec totaliter vtatur & vti posit de quinta Essentia nostra superius explicata. Et quia febris acuta communiter habet annexam alienationem sensus & apparitionem rerum phantasticarum, ibi sic perpendes quia humores adusti sunt qui febrem causant: Nã si patiẽs dicat se videre res nigras, cholera nigra est adusta: si res aureas, cholera rubea est adusta: si res

rubeas & effusionem sanguinis, tunc sine dubio sanguis est adustus. Et si aliquando loquatur de tribus his, hi omnes humores prædicti peccant. Ad curandum autem phrenitidem & stultitiam eius, & furiam mitigandam: Recipe bonam quantitatem vnguenti populeonis & de meliori aceto quod haberi poterit, & de ruta domestica in bona quantitate, tere & confice cũ prædictis, & admisce cum eis si potes habere quintam Essentiam sanguinis: & cũ hanc supercælesti confectione inuolue caput patientis, & pone de ea ad nares: & hæc diuina confectio statim fugat phrenitidem, apparitiones phantasticas curat, sensum & discretionem restituit, & quiescere facit. Serua hoc & perseuera in opere, & iuuabit te Deus.

Remedium in cura hemitritæorum.
Cap. XVIII.

ILli qui in magisterio medicinæ perfectè nouerunt tres hemitriteos aliquãdo in nostro corpore periculosos esse generatos, asseuerant minorem, me-

dium, & maiorem. Est enim hemitritæus febris ex humoribus corruptis & contrarijs generata: sicut si componatur febris in homine ex phlægmate putrefacto, sic erit febris frigida & humida, & si ex cholera rubea putrefacta: sic erit febris calida & sicca: & simul in vno corpore duæ febres erunt & contrariæ per naturam: imprudens medicus earum curas impossibiles iudicabit: quia si huic patienti ministret cõtra febrem calidam & siccam, frigida & humida, summè frigidam & humidam augmentabit, & è conuerso. Et si calida & sicca, frigida & humida, simul per æquas partes ministres, vnum impedit reliquum in agendo, & non sequetur cura. Est ergo eius cura verissima, vt ministres quintam Essentiam supradictam mediatam cum quinta Essentia sanguinis, & cum quinta Essentia auri & perlarum, & cum quinta Essentia rerum purgantium humores peccantes: & cum hac dosi citò & miraculosè vniuersi hemitritæi sine dubio euanescent. Et nota quòd tot modis hemitritæi in nostro corpore

corpore generantur, quot modis poteris copulare quatuor humores principales corruptos. Vno scilicet modo, duobus, vel tribus, vel pluribus modis: vt phlægma & bilis flaua, primus modus: phlægma & bilis adusta, secundus: phlægma & bilis nigra, tertius: phlægma & bilis nigra adusta, quartus: phlægma & sanguis adustus, quintus; & sextus ex pluribus istorum.

Remedium contra febres pestilentiales, & cura earum. Cap. XIX.

PHantasticum & stultum esset quærere remedium quando esset morbus insanabilis & immissus ad interimendum populum efficaci Dei imperio, contra quod nullum esset remedium, nisi ex Dei benignitate: quia durũ est nobis contra stimulum recalcitrare. Quòd autem efficaci imperio mittat Deus pestẽ in populum, patet Deuter. cap. 28. vbi dicitur, Si audire nolueris vocẽ Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius &c. Veniẽt super te omnes maledictiones istę, & apprehendent te: maledictus eris in ciuita

te & in agro &c. Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra &c. Hæc Moyses, imò Deus per eum. & infra, Percutiet te Deus vlcere Aegypti &c. Ad propositum, quid phantasticas tu has pestilentiales plagas incurabiles immissas ita à Deo, vt dicit textus sacer, vt nequeant curari? si curare præsumeres, phantasticum esset attentare pariter & insanum. Et quia in volumine directorij simplicium electorum de hac materia agendo, de clade maxima anno Domini. 1348. multipliciter disputaui, nunc ad propositum breuiter redeamus. Est autem sciẽdum quòd homines tripliciter mori possunt: vno modo in termino constituto nobis à Deo morte naturali quem aliquo ingenio naturali præterire non possumus: alio modo morte violenta: & istis duobus modis medicina est frustra: alio modo casualiter, vel occasionaliter, citra terminum à Deo nobis constitutum: vt qui nimia repletione vel dissolutione, vel austera abstinentia, vel desperatione, vel negligentia

tia vitandi mortis periculum, se occidunt. Et isto modo quando Deus mittit clades & pestes ad certas personas populi per mundum, illi quos Deus nō iubet per cladem efficaciter perimi, possunt gratis vel negligenter incurrere periculum mortis si volunt: quia Deus constituit hominem rectum, & illum posuit in manu liberi sui arbitrij. Sic ergo de cura pestis agamus: dico ergo pro regula generali, quòd Deus siue immittat pestē ex influxu Saturni, sicut est plaga lepræ, rheuma, phthisis, tabes, & omnia quæ ex pestilentialis frigoris malitia in homine contingunt, siue ex influxu Martis, vt est febris pestilentialis cum sputo sanguinis, apostema sub diaphragmate ad cor suffocandum, pustulæ maximæ sub ascellis, seu in inguine, seu anthrax, carbūculi, vel ignis sacer, et similia: siue ab influxu Mercurij maleficiati, vt sunt bubones in supercilijs, in barba, in pectore: siue à Luna maleficiata, vt sunt epilepsia, somnia horribilia, quę faciunt homines amētes: siue quascunque alias pestes per alios influxus

immiſſas à Deo, perfectè curãtur & vitantur cum quinta Eſſentia noſtra: & talia vniuerſa pericula vitantur. Et ſi quid vtenti de his aduenat, non nocebit, Deo dante. In febre autem peſtilentiali & omnibus ardoribns ęgritudinum, & vſturis, adde cum quinta Eſſentia medietatem quintæ Eſſentiæ ſanguinis humani, & bugloſſæ radicem, vel totã herbam, etiam acetoſam (ſiue oxalidem) & modicum aloes hepaticæ, euphorbij, hieræpicræ, & quintam Eſſentiam radicis lilij, auri & perlarum, capilli Veneris & hyſſopi. Hæc omnia efficaciter talibus febribus & apoſtematibus contradicunt. Expedit enim vt cum prædictis ſit quinta Eſſentia laxatiua, & tantũ recipiatur qualibet die, vt ſemel in die naturali, ter in ſeptimana hominem ducat in materia liquida. Et omni die de mane recipiat modicum aquæ bonæ ardentis videlicet teſtam oui, & quatuor vel ſex vicibus in die ſi expedierit plenam nucem Gallicam ſiue auellanæ teſtam: & corruptus aer ſine dubio non nocebit, & vtatur omnibus his quę Philoſophi

losophi in suis libris pesti contradicere probauerunt. Et pilulas ex ipsorum libris accommoda in quinta Essentia vel aqua ardente: sed per se & moderatè ponantur. & hospitia suffumigentur ter in die & fortiter, thure, myrrha, resina, terebinthina vel laricina, ruta, & talibus. Et hæc est cura perfecta pestium iam dictarum.

Remedium vltimum, vt in spasmo generetur febris & cura eius. Cap. XX.

SApientissimi Philosophi affirmauerunt sanum esse nasci febrem in spasmo: & dixerunt experti quòd si de succo flammulæ frices omnes arterias, continuò febricitabunt patientes: & sic temperatur malitia spasmi. Et quia spasmus secundũ sapientes prouenit ex læsione & debilitate neruorum, sicut patet aliquando in medicinis ex helleboro sumptis, nihil efficacius spasmum sedat quàm nobilissima quinta Essentia vel in eius absentia aqua ardens.

Explicit liber de Consideratione quintæ Essentiæ omnium rerum pauperibus & Euangelicis viris erogatus; necnon de famulatu Philosophiæ Euangelio Iesu Christi. Omnipotenti Deo patri, & filio' & spiritui sancto, sit laus per infinita seculorum secula, amen.

EPISTOLA MAGISTRI ARNALDI CAthelani de Villanoua ad Magistrum Iacobum de Toleto, de Sanguine humano.



AGISTER Iacobe amice charissime, dudum me rogastis vt vobis secretum meum de sãguine humano (quod diuina gratia fauente, & si per mei industriam, quanuis non totaliter, per multiplices tamen experientias cum multiplicibus laboribus adinueni) aliqua de quibus expertus essem transmittendo, significarem. Et quanquam diu distulerim, tamen iam senio appropinquante, omni liuore semoto, ea quæ de hoc secreto sum expertus, plenius enodabo. Audiatis ergo, & audiant secreti & electi verba oris mei, quæ spiritus sanctus vbi vult spirat: Et ideo in puteo penitentiæ recludatur,

nemini fatuo vel impotenti hoc ſecretum reuelando, quod antiqui quæſiuerunt, nec inuenire potuerunt: & ſcrutati ſunt, & illud non habuerunt. Eſt etenim donum cæleſte, nobis indignis à Deo deſtinatum: quod nec medici cognouerunt, nec etiam Philoſophi qui in alchymia laborauerunt. Sed teſtor Deum, quòd per varios labores quos iam longo tempore ſuſtinui in arte alchymiæ, prout ſcitis, per experimenta cognoui iſtius rei efficaciam tantam eſſe, vt non ſufficiam vobis tantæ virtutis vigorem plenius explanare: & ideo in puteo pœnitentiæ recludatur &c.

Accipiatis ergo hoc ſecretum, ſcilicet ſanguinem humanum, & ſit ſanguis virorum ſanorum, & ætatis annorum viginti vſq; ad triginta, & extrahatis quatuor elementa prout nouiſtis bene in alchymia, & obturetis bene quodlibet elementum per ſe, ne aer ſubintret.

Aqua enim valet in omnibus ægritudinibus tam calidis quàm frigidis, eo quòd occultę eſt naturæ: etiam complexionem lapſam reducit ad temperamẽtum; &

tum: & maximè valet patientibus vitiũ in ſpiritualibus, & venenum depellit à corde, arterias etiam ipſas habet humectare & dilatare: & dico pro conſtanti quòd phlægma craſſum in pulmone cõtentum ſine moleſtia diſſoluit, & ipſum vlceratum, non obſtante commotione conſolidat. Et breuiter omnia corrupta contenta in pulmone & membris ſpiritualibus purgat, & ea purgata præſeruat à putrefactione & corruptione ſanguinis, etiam vltra omnem noſtram medicinam mundificat. Item fluxum ventris à tota ſpecie curat, apoſtema etiam lateris mirabiliter ſanat.

Aer etiam multum valet ad prædicta, & fortè pluſquàm ipſa aqua, & maximè valet iuuenibus vt in eodem ſtatu fortitudinis & plenitudinis permaneãt ſi vtantur eo paulatim & in modica quãtitate: & eſt quaſi tantæ virtutis quòd nullo modo permittit ſanguinem putrefieri nec phlægma ſuperdominari, nec choleram aduri. Propterea multiplicat vltra modum ſanguinem & ſperma, & ideo oportet quòd vtentes eo ſæpe flobotomentur. Inſuper iſtud ele-

mentum aperit neruos & venas: & si ali quid in ipsis fuerit diminutum, reducit ad debitum temperamentum. Insuper probaui quòd si iuuenis aliquis ante statum suæ ætatis scilicet in augmento, habuerit oculum obscurum vel crepatum quòd si quolibet die de hoc elemento vna gutta intra ponatur, & si se tenuerit inquietè per mensem, redditur sibi visus sine dubio. Item si in aliquo membro aliquod superfluum inueniatur putrefactum vel aptum ad putrefactionẽ, putrefactum statim tollit & dissoluit, & si inueniatur diminutum, addit restaurando. Et valet hoc elementum in apoplexia, epilepsia & scotomia, vertigine, dolore hemicraneo: & in omnibus istis debet administrari cum aliquo electuario infra vncias sex ad propositum valente.

Ignis verò preciosior & admirabilior est, & ad omnia valet ad quæ valet aer, & quod plus est, de mortuo homine facit viuum. Hoc ita intelligendum, quòd si in hora singultus mortis detur de hoc igne ad quantitatem grani tritici di-

ci diſtemperato cum vino, ita tamen quòd guttur tranſeat, reuiuificat ipſum hominem, & ingreditur ad cor ſubitò ad expellendos humores ſuperfluos, & cum hoc viuificat calorem naturalem ipſius hepatis, ita quòd quaſi per vnam horam ipſe infirmus loqui poterit & diſponere de teſtamento confeſsioneq́ꝫ: & per hunc modum feci vel videbar facere miraculum apud dominum Comitem Fauſtinum, qui quaſi mortuus iacuit, & poſtquàm hoc medicamen ſumpſit, confitebatur delictum ſuum cum multa contritione, & poſt horam expirauit: et iſtud quàm pluries aliàs ſum expertus. Item ſi ſenex vtatur hoc igne in modica quantitate, omni die ſubleuat ſenectutem exhilarando corda ipſorum, ita quòd iuuencula poſsidebunt corda. Et ideo vocatur hic ignis Elixir vitæ nec tamen eſt Elixir alchymiæ: quia hic fit de ſanguine putrefacto: & natura humana nimis abhorret huiuſmodi medicamen. Et ſcias, quòd ſi elementa iſta ſecundariò diſtillata fuerint, meliora erunt in effectu, Et

ſi tertiò fuerint diſtillata, optima fient: quibus homo viuere poterit vſque ad periodum vltimam & terminum vitæ ſuæ abſque infirmitate aliqua, ſi ipſis vtatur omni die, vel alternis diebus: & tanta eſt ſcientia in his vltimis diſtillationibus quemadmodum eſt in diſtillationibus vltimis alchymiæ, vt bene noſtis.

Finis Epiſtolæ Magiſtri Arnaldi.

ARS OPERATIVA, MEDICA, MAGISTRI Raymundi Lulli.



CVM ego Raymundus Ilerdę exiſtēs eſſem rogatus à quibuſdam charis amicis meis, vt eis quædam medicinæ artis occulta & implicita, ab antiquis in practica imperfectè dicta declararē, librum aliquē ſuper hoc faciens: Ego verò voce eorum motus, noctibus varijs ante crucifixum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eius auxilium humiliter & lachrymabiliter poſtulando, ſepties etiam in die ipſum collaudando, vt aliquem modum difficiliorum morborum humanæ fragilitati deputatorum, quæ ab antiquis medicis incurabiles dicebantur, demonſtraret. Ecce quadam nocte ſemel à ſomno ſurgenti mihi viliſsimo ac indigno peccatori hæc ſequentia fuerunt reuelata. Quæ quidem ſecreta, fuerunt prius re-

uelata beato Aegidio degenti in heremo. Vnde qui hæc habet, omnia habet. Ex quo intelligitur, per orationem congruam, occulta & diuina ſecreta hominibus reuelari: heu indignis & maleuolis Deus iſta non largiretur, quia diuinę eius iuſtitiæ repugnaret: cum virtus & vitium in contrarietate exiſtant.

Cum igitur aliquis dignus eſſe nequeat abſq; Dei bonitate, & magnitudine, & gratia, ad ipſum inuocandum deuotè recurrendum eſt. Vnde ſummè neceſſarium eſt, ante quàm alicui propines aliquid medicinarum ſequentium, pura mente ac deuotè flexis genibus, oculis in cælum eleuatis, ſequentem orationē ter dicere ad honorem ſanctiſsimæ Trinitatis, ad hoc vt medicina tua meliorē effectum inducat, & tutiori modo infirmum à languore defendat. Vnde nota quòd iſte tractatus in quatuor diuiſiones diuiditur: quarum prima & quarta non fuerunt mihi Raymundo reuelata, vt ſecunda & tertia, imò ea recepi & habui à ſereniſsimo Rege Roberto ſub ſecreto ſigillo. quæ quidem experimenta ipſe

ipſe habuerat à peritiſsimo doctore Arnaldo de Villanoua, qui meritò fons ſcientiæ vocari debet, quia in omnibus ſcientijs præ cęteris hominibus floruit: cuius doctrinam libenter amplector, atque de eius doctrina cõfiſus, iſta quæ dicta ſunt in hoc libro ad laudem tanti doctoris catholici appoſui, vt eius recolibilis memoria à filijs meis recoli & diligi poſſit in vita perenni.

Domine Ieſu Chriſte, qui es vera ſalus omnium: Domine tu es ille qui omnia in bonitate & ſapientia tua creaſti valde bona, vnde Domine ſine te nihil ſcio boni eſſe in ſeculo: Quare Maieſtatem tuam ſuppliciter adoro, quia ſcio & firmiter credo nihil bonum eſſe abſque tua bonitate, nec magnum abſque tua magnitudine, nec durans abſq; tua duratione, nec potens ſine tua poteſtate, nec verum ſine tua veritate, nec ſapiens ſine tua ſapientia, nec diligẽs ſine tuo amore, nec virtuoſum ſine tua virtute, nec glorioſum ſine tua gloria, nec iuſtum ſine tua iuſtitia. Scio etiam quòd tu mirabiliter hominem creaſti, & mira

bilius hominem formasti : qui dedisti medicinam ad recuperandum sanitatē humanorum corporum, da benedictionem tuam isti medicinæ, vt omnes virtutes quas à principio posuisti in ea, ad finem perducātur, vt in corpore in quo introierint, sanitatem mentis & corporis mereantur conferre, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum &cet.

Cum à principio optimo omnia consistant, & regulari debeant, ideo ipse Deus voluit creaturam quæ est homo creare, quem rationali anima insigniuit & omnia sub pedibus suis constituit, iuxta illud: Omnia subiecisti sub pedibus eius: de quo Theologi, Homo est creaturarū creatura dignissima. Et Aristoteles in libro de Animalibus: Homo est dignissimum animalium &c. Et licet homo his sit insignitus virtutibus, tamen cum sit ex contrarijs compositus elemētis adinuicem agentibus & patientibus ideo est corruptibilis, & multis incommodis & infirmitatibus subiacere compellitur. Vnde non est mirandum de

homine

homine qui est magis passibilis, qui est magis ex tenui materia compositus, ideo habet plura contraria, cum sit indifferens inter omnia contraria. Et quia altum, & medium, & extremum, est conuersiuum: ideo habet infinita contraria: vnde ex dictis bonitas diuina consulenda, & ei tribuet medicinam quam altissimus de terra creauit, Ecclesiastici 38. quæ, vt dicit Auic. est scientia per quam hominis dispositio cognoscitur, & non aliorum. Et sicut medicina conseruat sanitatem habitam, & amissam similiter recuperat, ita aqua vitæ habet sanitatem conseruare & amissam recuperare. Et vocatur aqua vitæ à Philosophis, & recta medicina: vnde qui ea vtitur, non habebit in corpore suo aliquam infirmitatem quæ non sit habilis ad curandum: si quis ea vtitur vt debet, non morietur aliqua ægritudine præterquàm naturali à Deo ordinata, nisi violenta aut alia extrinsecus occurrat mors.

Aqua vitæ ornatur pluribus virtutibus & laudibus: & est, vt quidam dicũt,

calida & sicca. Quidam verò dicunt nõ esse calidam, frigidam, siccam, nec humidam: & tamen has virtutes continet. Et dixerunt quòd vna est vis aliena, quæ ex quatuor elementis deciditur, & non est elementum. Nam in materia de qua extrahitur dicta aqua post eius separationem, ab ea remouentur quatuor elementa, quæ per eorum separationem videri possunt, & per eorum separationem vnius ab altero, nisi occupet manum artificis error.

Ista aqua vitæ ardet vt candela, si in ea pannus intingatur aut tomentum, ardet sine læsione subiecti: imò videtur ardere, & non ardet. Hæc aqua sapit supra omnes sapores, habet odorem supra omnes odores, vt videtur per experientiam. Et scias quòd ista aqua dat nutrimentum cordi, & sanitatem reddit & custodit si recipiatur vt oportet, & quãtum natura sustinere valebit. Concoctionem confortat in stomacho & in hepate: Et dicit quidam Philosophus, quòd nulla medicina inuenitur quæ adeò sit caloris naturalis confortatiua &

augmen-

augmentatiua, prout est aqua ardens propter familiaritatem & consortium quæ habet cum natura, & quia est conueniens humanis corporibus. Et eius calor est similis calori naturali, ideo citò conuertitur in sanguinem naturalem. Item non solùm confortat virtutem naturalem & calorem, imò etiam turbidũ clarificat sanguinem, & totius corporis ac membrorum aditus & maximè venarum orificia aperit & mundificat: hepatis obstructionem aufert, tenebrosam fumositatem & tristitiam in corpore genitam expellit, totiusq; corporis membra corroborat. Et non solùm sua bonitas agit in corpore, sed etiam in anima operatur: facit enim obliuisci tristitiam & angustiam, inducit lætitiam & confortat ad inuestigandam difficilem & subtilem rem, & reddit strenuitatem & audaciam, vt non sentiat dolorem vel laborem. Et scias quòd triplex est aqua vitæ: prima simplex, secunda composita, tertia perfectissima. Simplex est, quæ sine admistione alicuius rei alterius simpliciter de vino elicitur: ista sine

admiſtione vini vel aquæ eſſe debet.

Compoſita eſt illa quæ ſic componitur: Recipe radicem fœniculi, petroſelini, bruſci, aſparagi, radicum raphani, milij Solis, iringorum, endiuiæ, ſcariolę, capilli Veneris, ana, permiſceãtur, & in diſtillatorio igne lento diſtillentur.

Alia compoſita: Recipe reſiduum aquæ vitæ, caphuram candidam, roſarũ, vtriuſque papaueris albi & nigri, lactucam ſatiuam, portulacas, violas, ſolatrũ, capilli Veneris, cymbalariam, ſemperuiuam, vermicularem, herbam dictam roſtrum porcinum, folia celſi: terenda terantur &c.

Perfectiſſima ſic fit: Recipe euphorbij, bdellij, ſagapeni, opopanacis, pyrethri, capparis, ſquinanti, ſpodij, piperis longi, nigri, & albi, cubebarum, caſtorei zedoarij partem vnam, muſci boni parum: ambræ, croci, oſſis de corde cerui, ana, ſecundum quod videbitur. Item recipe omnia antedicta in aquis compoſita & igne lento diſtillentur. Eſt enim res mirabilis, omnium medicinarum & inæſtimabilis mater & domina: Cuius

innume-

innumerabiles & mirabiles sunt virtu-
tes contra omnes passiones siue defe-
ctus: & talis fit secundum instrumentũ
serpentinum: Recipe vinum vetus ru-
beum vnius anni, vel vinum album op-
timum, tamen rubeum prȩualebit: quia
largius & vberius reddit aquã: de quo
pone primò vnam mensuram in vase
mundo & diligenter clauso, & distille-
tur igne lento aqua vitæ: quam cum in
primo vapore exierit, collige vsque quo
peciolam lineam subtilem ardebit, &
non substantiam peciæ. Et cum ardere
desierit, hoc quod in vase remanserit
pone deorsum, quia nihil valet. Scias ta
men quòd in quatuor mensuris consue
uit vna exire in prima distillatione, ali-
quando plus, aliquando verò minus, se
cundum vini bonitatem. Secundò di-
stillabitur modo prædicto, & de vna
mẽsura habebis mediam: semper enim
medium illius habebis quod in distilla-
torio posuisti. Si verò ter distilles, de
quinque mensuris quatuor habebis. Si
quartò distillaueris, & rectè ac debitè
operatus fueris, illud quod posuisti reci

pies quaſi ſine aliqua diminutione. In prima ergo diſtillatione ſemper de quatuor menſuris vnam habebis, & ſic diſtillabitur vſque ad ſex diſtillationes: in ſeptima diſtillatione talis aqua erit perfecta. In nona & decima perfectiſsima eſt: ſcias tamen quòd non propter difficultatem operis, ſed propter expenſas, in omnibus medicinis vtimur tantùm tertia diſtillatione, vel ad plus quarta, ſed ſecundum inſtrumentum canonum vel canonis in prima diſtillatione dicitur perfecta propter vaporem aſcẽdentem, quia vapor plus diſtillatur in prima diſtlllatione canonis quàm in tribus ſerpentini. Et ſcias quòd trium aquarum quæ fiunt in prima diſtillatione, prima eſt perfecta, illa ſcilicet quę ardet ſe & ſubſtantiam peciolæ: ſecunda ſimplex, quæ ardet ſe, & non ſubſtantiã peciolæ: tertia nihil valet, niſi tantùm ad oculos clarificandos & faciem: ita tamen quòd ex illa lauentur quolibet ſero & manè, hyeme & æſtate, manè, meridie, & ſero. Diſtillatorium debet impleri vſque ad duas partes & tertia pars

debet

debet remanere vacua, causa faciendi vaporis: & ita dicitur perfecta in prima distillatione. Si quis enim ea vti sciuerit in omnibus passionibus calidis & frigidis, curat, & sanitatem præstat. Omniũ siquidem herbarum, florum, violarum, radicum, & specierum virtutes & proprietates attrahit, si fortè per tres horas in prædicta aqua maneant. Huius verò aquæ in corpore humano effectus, mirabiles sunt: quoniam citò curat & sanat omnes ægritudines tam frigidas quàm calidas, vt cerebri, neruorum, & iuncturarum in potu sumpta & foris posita. Tamen si ægritudo fuerit cum humore intenso, permittatur purgatio: vel non oportet purgari de necessitate, si quantitas in potu est vnciæ vnius: vel vsq; ad duas vel plus vel minus: & hoc secundum virtutem patientis. Item valet ad omnes humores fluentes à capite vt in cephale, hemicrania, & vertigine. Item contra omnes humores venientes à cerebro & nares, vt coriza &c. Ad branchos, catarrhum, & omne genus rheumatum, & ad syncopen cordis

cum aqua tamarisci. Ad dolorem intestinorum & ventositatem bibita cum aqua anisi, vel alia cõuenienti. Valet ad stranguriam cum aqua saxifragiæ. Ad sputum sanguinis cum succo plantaginis & puluere sanguinariȩ. ad spasmum de repletione cum castoreo, ruta & saluia. Contra tirones seu vermes manus, inunctione. Contra hæmorrhoidarum dolorem bibita cum puro vino & super dolorem inuncta. Item contra omnes febres, præter acutas, bibita ante accessionem. habet vim theriacæ & est probata contra theriacam. Valet super omnia contra morbos pestilentiales, & epidemiam & epilepsiam sumpta per os, & inunctio valet super dolentem locũ in omnibus causis frigidis. Item nullum animal venenosum ei audet appropinquare. Valet contra omnem tumorem & inflaturam sæpius inuncta. Expellit omnem ventositatem & torsionem intestinorum sæpius bibita. Item regium morbum sanat bibita & inuncta. Contra omnem inflaturam cuiuslibet membri, si intingatur lana succida, calida, &

tumori

tumori apponatur. Valet contra rupturam ſumpta ieiuno ſtomacho. Item ſi caput ſcabioſum frequēter irroretur cum puluere ſanguinis leporis. Item omne genus vermium in capillis necat & occidit ſi ſæpe inungatur, & cutem mundificat ſaniemq́ꝫ conſumit: mutos facit loqui ſi ſæpius ſumatur cum theriaca per os. Valet ad peripneumoniam omneq́ꝫ apoſtema phlægmaticum ſumpta per os cum aqua maluarum calida. In dolore capitis antiquo ex frigida cauſa multum valet, ſi caput ex ea inungatur: nam canos retardat, iuuentutem conſeruat: tineam capitis & ſcabiem ſanat ſi quolibet manè, meridie & ſero lauetur ex ea. Item memoriam ſpecialiter iuuat ſæpius bibita. Valet cerebro confortando ſi ſæpius ex ea caput vngatur & odoretur. Item ſi in caputpurgia apponatur, & diſtemperetur cum modico theriacæ, recipiaturq́ꝫ ieiuno ſtomacho bis vel ter diebus diſpoſitis, curat perfectè. Item contra epilepſiam ſi bombyx in ea intingatur ponatúrque ad nares, & deinde pulſus inungatur.

Item valet contra oppilationem narium sæpius bibita, supraq; caput posita, & sæpius odorata. Item contra apoplexiã similiter administrata. Item contra paralysim linguę & membrorum tremorem & consumit phlægma si bibatur modo prædicto, & peciola linea teneatur in dicta aqua intincta super linguam reiterando, & saluabitur perfectè. Si necesse fuerit bis vel ter reponatur, donec perfectè sanetur. Item contra torturam faciei ex verberatura factam vt contingit vngatur facies ex ea, quia sanabitur perfectè. Contra melancholiam & tristitiã quolibet manè sumatur medium cochlear cũ paruo scypho vini odoriferi: nam sumentem lætificat & hilarem reddit. Omnes virtutes animales potata confortat. refert odorem cuiuslibet rei secum commistæ: & omnis liquor cum ea commistus est conuertibilis. nec aliquid in ea positum potest vnquam putrefieri. Contra caliginem oculorum posita vel iuncta lachrymas desiccat & telam dissoluit: & est mirabilis guttæ frigidæ oculorum, & contra vngulam

& lapidem oculorum intus & extra po
ſita, ac ſæpius bibita. Valet omni viſus
debilitati ex ſpiritibus turbidis & craſ-
ſis, ſi ſola circa tempora & palpebras in
tus & extra poſita & inuncta ſit. Lapi-
dem in renibus aut veſica induratum
nouem menſibus frequentata diſſoluit,
vt dicitur à Philoſophis. Contra om-
nem paſſionem, iliacam & colicam &
omnes dolores ſtomachi inuncta & bi
bita. Contra dolorem dentium & cor-
roſionem gingiuarum bibita & inun-
cta. bibita & gargarizeta anhelitum fœ
tidum emẽdat. Valet ad aſthmaticũ de-
coctione ficuum & liquiritiæ. Item con
tra obſtructionem ſplenis & hepatis &
renum. bibita & inuncta valet ſuper o-
mnem medicinam. neruos de nouo cũ-
tractos ſanat inuncta ſæpe ac ſæpius.
Omnem dolorem ac guttam ex frigida
cauſa factam cum bono vino odorife-
ro ſumpta & ſuper dolorem inuncta. I-
tem rugam & lentiginem faciei depu-
rat & facit faciem ſplendidam & bene
odoratam: impetiginem & ſerpiginem
deſtruit ſuperpoſiaa. Item hydropem

ex frigida cauſa in potu ſequentata curat, ſi ex ea ſumatur quotidie ter ad quãtitatem dimidiæ teſtæ oui. Item omnem quartanam additis debitis radicũ & herbarũ proprietatibus quæ ad morbi indigentiam ſpectant, ſanat citò, data ante acceſsionem. Item contra dyſenteriam diariam, lienteriam, dyſuriam, præcedentibus alijs medicinis phyſica lib. Valet ad ſterilitatẽ ex frigida cauſa, ſępius potata. Valet iſchiadicis, arthriticis, podagris ex frigida cauſa, purgatione conuenienti præmiſſa, ſi cum ea lauentur, multum valet, quia malas carnes corrodit, & bonas conſeruat, nec permittit eas putreſcere. Valet contra fiſtulam, Noli me tangere, & omnes ſimiles morbos. Venenum expellit data cum theriaca vel cum aqua calida & in dolore capitis: eodem modo cum quis percuſſus eſt à malitia Mercurij. Vinum corruptum & acetoſum reparat & reducit ad priſtinam bonitatem: muſtum clarificat, ſi modicum de ea imponatur: omne crudum in ea proiectum ſtatim ſe apprehendit, vt coctum ad ignem.

ignem. Item si peciola linea subtilis in ea balneetur, comburitur in pulueres. Vitellum oui crudum in ea positum, cõgelatur. Percussus à malitia Mercurij loco inducto ista aqua & oleo benedicto vel laterino, curatur: & ex eis ana partē bibat. Quicquid ex ea linitur, ardet: vinum & acetum corruptum reparat, & ad pristiuam bonitatem reducit, si de ea aliquid ibi ponatur. Per secundum autem modum vsque ad decimam distillationem deducta verè omnia facit quæ de aqua vitæ & oleo Philosophico in libro Aristotelis Perfecti magisterij sunt conscripta. Si in aqua vitæ carnes crudas aut coctas vel pisces ponantur nunquam putrescunt. Matricem vitiatam etiam gallinæ sanat. Vulnera putrida sanat & cõsolidat vehementer. Multa quidem & alia vtilia humanæ naturę procurat per gratiam dulcissimi Domini Iesu Christi. Si vis eam probare præsertim quæ tertiò distillata est secũdum artem: accipe pullum bene deplumatū & exenteratum, & calefac eum ad ignē in manu tua ita quòd vix tenere possis

in manu,& statim linias eum intus & extra cum dicta aqua calida bis vel ter, postea pone dictum pullum ad Solem per duas horas, postea pone ipsum vbi vis, & nunquam putrescet neq; corruptionem patietur, dum mundus fuerit.

Nobilissima aqua pro oculis & cet. Cape rutam, agrimonium, satyrion cũ radicibus, chelidonium, saccharum, lapidem calaminarem. Ista simul contere & pone in alembico & distilla inde aquam ad leuem ignem. Hæc aqua multas habet virtutes: nam nullus dolor oculorum tam magnus inuenitur qui sit curabilis per aliquam medicinam, quãdo curetur per istam prædictam. Ista aqua bibita ieiuno stomacho depellit omne venenum, & purgat stomachum ab omnibus malis humoribus. Item ipsa potata ieiuno stomacho, liberat hominem hydropicum ex causa frigida. Extinguit sacrum ignem in tribus diebus, si stupę cannabis in ea intingantur & per modum emplastri superponantur. Et scias quòd ista medicina valet contra ignem sacrum nigræ dispositio-
nis

nis exterius calidum. Et quando est vndiq; exterius rubeus non apponas emplastrum supra ignem illum. Aqua ista bibita cum aloe curat morbum cancri, dummodo fiat emplastrum de prædicta stupa in ea intincta, & emplastrũ bis in die mutetur.

Aqua ad multa vtilissima & potabilis sic fit. Recipe semina pimpinellæ, sinapis, petroselini, apij, caryophyllorũ, mastiches, ana: bene ista terantur, & misceantnr cum sanguine hirci, & apponantur in modico aceto boni vini & dimittantur simul, & cooperi hoc bene in aliquo vase & dimmitte stare per aliquot dies secundum industriam medici: postea ponantur in alembico & distilletur inde aqua ista, quæ multum valet calculosis, siue calculus sit albus siue rubeus, acutus vel planus, vel confirmatus, si patiens biberit vel comederit ieiuno stomacho de illa aqua, calculus recedet & frangetur & emittetur vt arena. Item si capita scabiosa in hac aqua laueris semel, curabuntur, & noui capilli renascentur. Item in quacunq; parte

corporis fuerit ſcabies, ſi abluatur cum hac aqua curabitur infra tres dies vel quatuor. Si bibatur ieiuno ſtomacho facit bonum ſanguinem & colorem in corpore hominis ſuper omnes medicinas. bibita bis in die fugat omnem paralyſim de corpore hominis, dummodo paralyſis non ſit mortua in membro vel neruis: hæc vltra omnes ſpecies confortat neruos: ſpecialiter depellit morbum caducum, ſi bibatur bis in die.

Aqua optima ad morbum caducum & alia multa, & vocatur aqua hirundinũ. Accipe hirundines iuuenes & pulueriza, & puluerem miſce cum caſtoreo & modico boni aceti & pone in alembico & diſtilla inde aquam quæ habet multas virtutes. Primò hæc aqua bibita ieiuno ſtomacho eſt vera medicina cõtra morbum caducum à quacunque cauſa prouenientem etiam ſi homo paſſus fuerit talem morbum per quinquaginta annos, curabitur ſi quotidie vtatur patiẽs ipſa aqua per quadraginta dies. bibita ieiuno ſtomacho nouem diebus curat phrenitidem. Supra omnes medi

cinas

cinas facit bonum cerebrum. Purgat ſtomachum & pectus: mollit & confortat neruos: eradicat paralyſim: augmentat naturam, & infrigidatos homines calefacit. Item ſi coquatur cum hyſſopo & bibatur ieiuno ſtomacho, curat hydropiſin ex frigida cauſa prouenientem & febres quotidianas. Caueat tamen mulier imprægnata, quia abortiret aut fœtum interficeret: bibita cum hyſſopo remouet dolorem capitis facitq́ hominem bene dormire, comedere, & digerere, bene aſſellare, vrinare &c. Hæc aqua remouet pilos de quocunq́ loco ſi locus inde lauetur, & nunquam reuertentur.

Aqua laſſida ſic fit. Cape hyſſopi, gladioli, ſauinæ, abrotoni, ana, ſimul pone & cum alembico aquam diſtilla: quę ſemel in die bibita ieiuno ſtomacho curat omnem capitis dolorem. Valet contra omnes febres calidas & frigidas. In mulieribus ſummè prouocat menſtrua, ſi ex ea ter bibant. Caueant ſi ſint prægnantes, quia fœtum interficerent. Valet contra omnes fluxus ventris, & be-

ne purgat ſtomachum à malis humoribus. Interficit omnes vermes in corpore hominis exiſtentes, ſi ieiuno ſtomacho patiens de ea bibat. Iſta aqua manè bibita cum caſtoreo curat omnem paralyſim in tertia die: & debet ſumi ita calida vt homo poteſt ſumere.

Aqua dealbatiua. Recipe talpam & pulueriza cum ſulfure, & appone ſuccum chelidonij, & dimitte ſimul ſtare per aliquot dies, poſtea pone in alembicum & diſtilla aquam quæ habet plures virtutes. Primò, ſi cum illa aqua ablueris per nouem dies aliquod animal nigri coloris, illi pili dealbabuntur vt nix in loco vbi inunctum fuerit. Item hæc aqua commiſta cum cera & aloe curat omnem guttam, ſi locus cum ea vngatur. Cum iſta curatur morbus qui dicitur Noli me tãgere, ſi cum ea fiant emplaſtra & ſuperponãtur. Purgat capita ſcabioſa inuncta ſuper ipſa. Curat ignẽ ſacrum per emplaſtra ſuperpoſita. Hæc aqua cum lapide calaminari & aloe cõmiſta, curat perfectè lupam morbum, ſi bis in die ſuper ea emplaſtretur, & infir

mitas

mitas bene abluatur cum eadem commistione. Et scias quòd ista aqua nullo modo debet sumi per os.

Aqua conseruatiua sic fit. Sume petroselinon & pista in mortario, & distilla aquam quæ multum valet: nam bibita ieiunè consumit omnes ventositates & de corpore expellit. Facit bene digerere & comedere. Bibita cum saccharo & cinnamomo valet contra tussim, & pectoralia purgat à malis humoribus.

Aqua mystica saluiæ, sic fit. Cape saluiæ, pulegij, ana, & contere in mortario, & pone in alembico ad distillandũ. Hæc aqua calefacit omnes infrigidatos quicunq; fuerint bibita ieiuno stomacho per nouem dies. Cocta cum castoreo & bibita ieiunè calida per tot dies prolongat vitam infirmi vel sani vsque ad periodum. Remouet omne malum ventris, & curat similiter omnem guttam & scabiem, facitq; bonum sanguinem & optimum in facie colorem. Item ter bibita in die & calida valet contra multas infirmitates, & curat infra octo dies.

Et nota quòd omnes prædictę aquę ſecundum ſuam primam diſtillationem præter dealbatiuam, acceptæ & in decoctione prudenti & proportione cum caſtoreo, rhabarbaro & ſaccharo quouſque tertia pars ſit conſumpta, ſunt veræ medicinæ contra omnes infirmitates corporis internas, & debent ſumi per os: & hoc nunquam fuit inuentum nec inueniri potuit per medicos. Si autem infirmitas fuerit extra corpus, ſumatur quantitas aquæ prædictæ & ponatur in aqua dealbatiua in ſua proportione: & ſpecies prædictæ, & decoquatur prius, & lauetur infirmitas cum hac medicina, & de ipſa fiat emplaſtrum ſuper morbum, & patiens de ipſa ſine aqua dealbatiua ſumat per os, & cura perficietur. Et eſt ſciendum quòd beatus Aegidius exiſtens in heremo examinauit & probauit omnes virtutes aquarū prædictarum. Ergo hūc lib. compilauit dicens, Quicunque vult malum ſancti Aegidij ſanare, apponat in profunditate infirmitatis de hac aqua, & poſtea de ſuper emplaſtrum de canapo intinctū

in

in aqua ipsa, & impleat totum vulnus. Ista est perfecta medicina vt probauimus. Et isto modo curatur cancer & fistula, ita quòd nunquam amplius lædēt in tali loco. Hæc medicina curat lupam & ignem infernalem, & ignem Græcorum, & Sodomorum. Item si quis de ista commistione aquæ frigidæ biberit in sero, liberabitur ab omni lepra, & ab omni paralysi & speciebus eius, à quacunque causa proueniant: & quod hac medicina non curatur, nec alia curabitur.

Aqua viuificans, & de antiquo iuuenem faciens secundum Raymundum Lullium. Accipe terebinthinæ libram vnam, mellis libram semis, aquę vitę ter vel quater distillatæ quartum vnum, ligni aloes bene triti, sandali citrini ana ʒ. iij. gummi Arabici ℥. j. nucis moschatæ, galangæ, cubebę, cinnamomi, masti ches, caryophyllorum, spicænardi, croci, zingiberis ana ℥. iij. musci fini ʒ. j. am bræ ʒ. ij. Hæc omnia bene terantur & inuicem misceantur imponendo in alembico vitreo bene clausis iuncturis

quousq; habueris primam aquam limpidam ſicut aquam fontis: & cum ſecunda voluerit exire quæ erit ſicut carbo ignitus, tunc fortifica ignem motu continuo, & non per ſaltum, & ipſam aquã per ſe recipe. Poſtea cum tertia exire incipiet quæ eſt nigra & ſpiſſa ſicut mel, fortificabis ignem quouſque totum liquorem habueris.

Et ſcias quòd quælibet harum aquaram eſt calida, vltima tamen magis calida quàm ſecunda, & ſecunda quàm prima. Prima vocatur mater balſami: ſecũda oleum balſami: tertia balſamum artificiale. Prima aqua eſt clara, quam potabis cum vino tepido præciſé. Secunda autem & tertia valent ad fomẽtandum & remouendum infirmitates quæ nouiter carnes erodunt humani corporis. Prima aqua tepida potata cum vino albo tepido cõſumit phlægma in ore ſtomachi, & reddit appetitum comedendi & purgat ſtomachum ab omni malo humore: ipſa etiam potata non permittit apoſtema venire ad cor nec ad partes cordiales; & probaui hoc ſæpius. Itẽ

panniculus

panniculus ſubtilis lineus madefactus in hac aqua & poſitus in naribus quantum potes intromittere cum paruo digito curat à rheumate: & hoc fiat dum patiens intrat in lectum, & panniculus intra dimittatur. Item ipſa aqua anhelitum fœtidum à quacunq; cauſa, ſi bibatur manè & ſero curat: dentes cum ea lotos fortificat & dealbat, dolorémque totaliter remittit, ſiue ſit ex humore (ſeu pituita) ſiue ex ſanguine putrefacto. Itē quicquid fuerit in ea poſitum integraliter cuſtodit à putrefactione. Vulnera ex ea lota & fiſtulam & quācunq; aliam infirmitatem reducit vt probaui per pannum madefactum poſitum ſuper vulnera. Valet contra quartanam ſi ſpinam dorſi fortiter fricaueris cum ea per aliquot dies. Valet contra ſcabiem ſi cum aqua iſta eam laueris. Valet hęmorrhoidibus ſi pannum madefactum ſuper eas poſueris. Valet contra omnem ſurditatem, ſi modicum cum bombyce imbibita in ea, poſueris in aure. Valet contra ruborem faciei ſi cum ea inunxeris. Valet contra linguæ paralyſim. Et

generaliter valet contra omnes infirmitates etiam ex frigida causa prouenientes. Secunda & tertia valent contra Noli me tangere, contra morbum regium colli & gulæ. Contra fistulam & malum mortuum, præsertim si recenter venerit, omnia prædicta lauando, fomentando, pannum superponendo frequenter, curat. Item si collisus lapidibus, fustibus, vel baculo fueris, aut ab alto cecideris, costásue fractas habueris, si ad ignem cum ista aqua bene fricatus fueris, curaberis. Item interficit araneam, si cum illa fuerit tacta, quia ei nullum venenum applicatur. Item paralysim omnium membrorũ curat, si quis cum eisdem vnctus fuerit: confortat omnia mẽbra corporis si cum ea lauata fuerint. Et scias quòd prima aqua istarum trium generaliter continet omnes virtutes illarum. Sed in infirmitatibus corrosiuis plus valent aliæ duæ quàm prima: & plus tertia quàm secunda. Et harum aquarum virtutes nõ dicuntur tot, quin plures sint. Quare vtiliter habeas, quia valent cõtra omnem infirmitatem quæ

procedit

procedit ex ſanguine vel phlægmate putrefactis. Et ſic finitur tertia diuiſio aquarum.

Candida ſic fit. Recipe Mercurialis & ſacchari, ana, & ſimul commiſce, & fac ſtare per nouem dies: poſtea extrahe oleum ad modum & vſum laicorum. Iſtud oleum eſt perfectum ſi bene & perfectè fiat. Si ponatur in ampulla vitrea lucet de nocte. Iſtud oleum facit pulchrum colorē in facie hominis vel mulieris. Item ſi quis de hoc oleo quolibet manè bibat etiam ſi eſſet centum annorum, color eius in facie iuueneſcit, & omnia membra eius alleuiantur, & non poſſet fieri aliquo modo triſtis. Si quis de hoc ſumat ieiuno ſtomacho vſque ad quadraginta dies perfectè curat morbum caducum de quadraginta annis. Item iſta candida confortat neruos vltra omnes ſpecies. Item iſta cum caſtoreo & ſumpta per os remouet omnē contractionem neruorum, & facit neruos dormientes (ſeu ſtupidos) ſanos. Quare ipſam his rebus præferimus preciosam. Item gutta eius ſummo manè in

oculis posita vltra modum clarificat ipsos & sanat. Item recipe istam aquam candidam, seu oleum, aurum foliatum, margaritas orientales, rhabarbarum, ana, simul terantur: ipsa enim est summa medicina lepræ, dummodo quolibet sumatur ieiuno stomacho, perfectè curat lepram & facit pulchrum colorem: sed oportet quòd parum bibat & bonũ vinum in hac cura: & tandiu vti' debet ea medicina quòd color eius in facie sit bonus, & erit perfectè sanus & curatus Deo concedente.

Sperma solis sic fit. Recipe semen solsequij & contere & postea pone in lacte mulieris nutrientis infantem masculum diebus quatuor vel decem: deinde fac oleum ad vsum laicorum. Istud oleũ confortat virtutes principales, si illum decoxeris cum auro foliato leuiter bulliendo per vnum diem, & in hoc oleo si laueris capillos hominis, facit ipsos de colore auri. Item si quis faciem hominis vel mulieris cum hac medicina lauerit vel fricuerit, faciet carnem planam & claram & nimis pulchram. Et scias

quòd

quòd si ista medicina fuerit bene conti nuata, durabit color eius per annum. Ista medicina clarificat visum & sanat de quacunque infirmitate infra decẽ dies, dummodo pupilla oculorum sit salua. sanat omnem infirmitatem dentium infra tres dies, si gingiuæ inde fricentur bene. Et si ibi esset vermis morietur & cadet. Item si infirmitas gingiuarum sit ex gutta vel aliqua alia specie paralyseos curatur infra tres dies. Item si quis bibat de hac medicina nouem diebus curatur de paralysi à quacunque causa prouenienti, etiam si per quadraginta annos durasset.

Sperma rutæ sic fit: Semen rutæ pulueriza & commisce cum auro foliato, & pone in aceto per vnum diem naturalem, postea leuiter desicca ad Solem, & extrahatur oleum ad modum laicorum: nam istud oleum est valdè preciosum. Si quis bibendo vel comedendo sumpserit venenum, & biberit de hoc oleo, venenum euomet. Et si secundò biberit, euomet omnes malos humores ex hoc veneno creatos, Et si tertiò sum-

pſerit, curabitur. Item hoc oleum ſanat omnem dolorem oculorum à quacunque cauſa, dummodo pupilla remanſerit in oculis, & bis in die cum oleo hoc lauetur, & vna gutta in oculo infundatur, & fiat cura perfectè infra tres vel quatuor dies. Item dictum oleum ſumptum ieiuno ſtomacho non permittit venenum appropinquare homini illa die. Item ſi homo vulneratus vulnere mortali ieiuno ſtomacho ſumpſerit de oleo iſto perfectè euadet de hoc vulnere, dummodo medicinis pertinentibus vulneri & vnguentis regatur. Item ſperma rutæ bibitum ieiuno ſtomacho depellit omnem guttam & ſcabiem de corpore humano. Si patiens hydropiſin à cauſa calida vel frigida biberit de ipſo per quadraginta dies, abſq; dubio ſanabitur. Item ſperma rutæ viuificat membra dormientia.

Rubria ſic fit. Cape ſemen naſturtij & madefac in aceto bono, poſtea deſicca ad Solem & extrahe oleum ad modum laicorum. Iſta medicina miſta cũ aloe & oleo laurino, eſt perfecta contra omnem

omnem ſcabiem & guttam, ſi locus cũ ea inungatur. Item rubria miſta cum aloe & oleo laurino eſt perfecta contra omnem ſcabiem & guttam, ſi locus cũ ea inungatur. Item rubria miſta cum aloe & carbonibus de oliuo ſimul piſtata & bibita ieiuno ſtomacho depellit febrem tertianam & quartanam ſi per tres dies ieiuno ſtomacho ſumatur. Item rubria cum oleo oliuæ & petroſelino decocta & comeſta ieiuno ſtomacho, curat rupturam in corpore. Item rubria cocta cum ptiſana & bibita depellit fluxum ſanguinis, & fundamenta conſtringit. Item rubria cum furfure cocta depellit omnem guttam.

Sperma pimpinellæ ſic fit. Semen pimpinellæ pone (quantum vis) in vino rubeo per dies aliquot, poſtea deſicca ad Solem & piſta, & ex hoc fac oleũ ad modum laicorum. Hoc oleum bibitum ieiuno ſtomacho ſanat arenam in veſica. Si homo de alio calculo (vt renum) torqueretur, ſi bibat de ſpermate pimpinellæ, quanuis lapis ſit confirmatus, diſſoluitur ab eo per modũ arenæ.

Et breuiter ipſum ſperma bibitum ieiũ no ſtomacho frangit calculum cuiuſcunque naturæ fuerit. Item hoc ſperma bibitum alleuiat membra hominis aggrauata.

Finis Artis operatiuæ Magiſtri Raymundi.

AQVA DVPLICATIVA.

RECIPE ſeminis papaueris albi & teratur in mortario, & adde aquę conſeruatiuæ præcedentis, poſtea pone in alẽbico & diſtilla aquam: iſta eſt ſummè medicinalis tuſsientibus & his qui habent malum pectoris ſi ſumatur ieiuno ſtomacho, de manè frigida, de ſero tepida. Item cauſat quietem & facit bene dormire, & bene quieſcere. Item bibita calida cum caſtoreo valet contra epilepſiam, & ſanat membra paralytica dummodo ſit in membro mortificato. Item lætificat omnia membra, & ipſa rectificat

cat & purgat è malis humoribus. Item confortat caput & cerebrum.

Aqua ardens facta è vino in quo prius remollitus fuerit rosmarinus per tres dies, curat phlegma salsum, cancrum, et fistulas, quæ aliàs curari non possunt.

MODVS FACIENDI QVINTAM
Essentiam simplicem, breuiter descriptus à Guilhelmo Gratarolo Medico.

ACcipe vinum melius quàm inuenire queas, quod nec turbidum, nec corruptum sit, & illud per canonem seu tubonem toties distilla, vt facias meliorem aquam ardentem quã possis, vt est è tribus vsq; ad septem distillationes: & hæc est aqua ardens ad quam medici hodierni & physici aliqui peruenerunt: ex qua elicitur quinta Essentia. Facta dicta aqua, cures fabricari in fornace tua duo vitra vel vnum, nempe distillatorium integrum & vnius frusti, cum solo foramine in capite (appellant aliqui vas Hermetis vel vas cæcũ) per quod iniicitur & extrahitur aqua,

videbis apud alios tale instrumentum mirabiliter formatum: nam quod ignis vi sublimatur & ascendit intra vas per canones seu tubos brachiales, idem regreditur, & postea descendit: & rursus ascendit, & descendit quotidie, die noctuq; quoad aqua ardens versa est in ęther, seu quintam Essentiam, quæ quæritur à doctis.

Facta verò per multos dies tali distillatione, vel sublimatione, & circulatione, aperies vas in foramine quod sigillatum erit luto Sapientiæ facto ex farina tenuissima & albumine oui & papyro seu charta humida diligentissimè contusa & mista, bene obturando ne respiret. Et tunc cum foramen aperies, senties odorem qui supermirabilis esse debet: ita vt alius quicunq; odor illi æquiparari non possit. Et cum dictum vas haud videretur in aliqua domo (vt etiã ex Ioanne de Rupescissa habes in hoc volumine) qui talem odorem sentirẽt, coacti essẽt (dulci violẽtia) sequi odorẽ. Quẽ si nõ reperies talis excellẽtię, sigilla vt prius tuũ vas, & pone ad ignẽ infe-

rius

rius descriptum, vt per sublimationem & circulationem ipsius vasis, habeas rē desideratam: Et vt inuenias hanc quintam Essentiam inæstimabilis odoris vt superius dictum est: & reducetur ad certam incorruptionem, & non habebit illum odorem quem in ore tuo prębet aqua ardens: quia aquæ ardentis odor et sua humiditas ex toto corrumpitur & remanet separata in fundo vasis: & ita habebis quintam Essentiam.

Ignis autem, de quo supra, sic paratur: stercus equinum bonum seu recens cape, & in aliquo vase aut in fouea in terra tere, quæ intus circumcirca sit ex cinere illita & coaptata ex pasta cineris: & in medio stercoris bene pistati pone vas distillatorium vsq; ad medium vel parū plus: nam necessarium est vt totū caput vasis maneat in aere frigido, vt quod caloris vi ex fimo ascendit in vase caput eius petēs, vi frigoris ambiētis aeris conuertatur in aquam & cadat infra continua circulatione. sic ignem habes sine sumptu.

DE VIRIBVS, VSV, AC MI-
stione aquæ ardentis: eodem authore Guilhelmo Gratarolo Medico.

INter medicorum plurima instrumenta, mirabilia quædam fiunt ex ferro, lignis, vitro, vt peritis chirurgis notum est: item oleis, vel simplicibus, vel compositis probè distillatis, vt petroleo: quod simplex esse potest, vel ei addi euphorbium, ammoniacum, & huiusmodi, pro vsus varietate & intentione: quibus quidem mistio fit vel dum fiunt vel dum facta sunt: de quibus, tum etiã aquis extrahendis, cum ab Euonymo Philiatro amico meo, atque ab alijs: tum nuper à Iacobo Bessono, methodus tradita est: quo in oleorum numero sunt, olea balsami vocata, oleum terebinthinę, iuniperi ex granis vel ex ligno: scorpionum, &c. de quibus alij tractarunt. fiunt etiam mirabilia de vinis artificialibus, de quibus præter Dioscoridem & alios, Arnaldus Villanouanus propriũ edidit libellum: Et nos quoque, si Dominus vitam & ocium dederit de vtiliori & vario vini aliorumque potuum artificio

ficio, conſeruatione, cognitione, ac vſu, nonnulla ſcripſimus & propediem edemus. Sed mirabiliora fiunt ijſdemmet vinis diſtillatis, ſimplicibus, aut compoſitis, atq; aquis exinde diſtillatis, pro iterationis & varietatis ratione: veniunt in vſum & aquæ fortes vocatæ, vt ad mortificandum cancrum, fiſtulas, dolorem dentis ſedandum &c. Quæ potius ad chirurgos & artifices, præſertim auri fabros, ſpectant: in quorum gratiam fortaſſe olim non pauca, optima, & hactenus ferè occulta, in lucem dabimus. Sed nunc de laudata & mirabili illa vini aqua, ſeu anima, & ſpiritu, dicamus: ex qua ritè ſelecta & circulatione multiplici perfecta, fit tãdem æther, de quo multiſcius Cardanus ſuperiori anno libellum, ſibi claue ſua ſeruata, edidit.

Aqua igitur ardens (vt in ſumma dicam) poteſt fieri vel è ſimplici vino, vel admiſcendo ſpecies, aut herbas, aut gũmi, aut tartarum: ſemel, aut pluries diſtillando: vel cum ſimplici alembico, vel cum cupa aqua frigida plena, per quam diſtillationis coluber ponitur. & quo-

modocunq; fiat, ea possumus cum alio liquore vti sicuti est, vel aliqua, iuxta casus, adiungere: vt mastiches puluerem &c. Pro frigido ventriculo: flores anthos pro vita ad præfixum terminum protrahenda: virtutes enim miraculosę illi probè factæ attribuũtur. In primis ardet sine dãno subiecti, redolet, sapit: ad omnes valet ægritudines, passiones & dolores ac languores ex causa frigida: atq; tales morbos & mẽbra affecta, datur cũ his quæ vnicuiq; aut singulæ rei magis appropriantur, vel simplicia sint vel cõposita: quantitas autẽ, tempus, & alię circunstantię vix scribi possunt, sed prudentię medici & iudicio relinquuntur: in hoc tamen volumine, tum ex Rupescissa, tũ ex Sauonarola habebit lector modum & doses seu dationes in vniuersum. De qua prius in genere sententiam meam dicam, tum ad particularia in iuniorum gratiam descendam.

Bona igitur aqua vitæ fiat ex optimo vino, id est ex spiritualiori & minus terrestri, quale est Maluaticum, Corsicum, Græcum, Montanum &c. iteretur distil

latio

lato quinquies per circuitum ſerpenti-
næ, quæ ex argento fieri deberet: fiatq́
in vaſis vitreis, non in plumbeis, aut ter
reis, aut æneis, vel cupreis, vt ab alijs
quoque animaduerſum eſt. Imò aqua-
rum diſtillatio quę de herbis fiunt in va
ſis plumbi cuius humiditas eſt multa &
ſulfur impurum: & ex quo fit ceruſſa &
venenū vel terrę, cuius fęx eſt multa: ſta
tim putreſcūt & corrūpunt: nec vlla in
re valent, niſi diu ſoli expoſitæ ſteterint
vbi corticem ſuperius mittunt, & fæces
inferius: quæ amouentur colando per
pannum ſubtilem &c. Si autem in vi-
treo vaſe fiant, ſtatim in vſum tranſire
poſſunt: & vna gutta valet decem alte-
rius. Ideo tales herbarum diſtillationes
(cum etiam earum virtus aduratur) ni-
hil curo: ſed ſuccis, aut ſubſtantia, aut ea
rum decoctis ſecundum artem factis li-
bentius & tutius vtor. & præſtaret vt
omnis herba quæ diſtillari debet, pri-
mò parum ſiccetur, poſtea temperetur,
aut irroretur vino albo, poſtea parum
ſiccetur, & arte diſtilletur. Sic diutur-
nior & melior fieret: poteſt verum vinū

accipi oligophoron aut meracius pro ratione intentionis curandi: tum demũ aquæ infrigidantia vel calfacientia misceri vel infundi &c. Signum autem melioris aquæ vitæ & quinquies aut pluries stillatæ est, cum lineus pannus ea madefactus post aquę adustionem etiã aduritur: quia signum est quòd nulla in sit fæx phlegmatica, quæ pannum ab adustione tueatur. Si aquam vitæ cum alijs (vt aromatum) additionibus facere vis: satis est si talem simplicē habeas quæ quasi materia prima est ad omnia: nam quancunque rem vis subtiliter in puluerem redactam tribus horis immisce, & tunc habebit totam rei virtutem: cuius signum est, quòd si coletur fæx, nullum omnino habet odorem aut saporem. Aqua enim vitæ trahit substantiam seu formam & animam, adeóque odorem & saporem, quarumcunq; rerum, vt cinnamomi &c. Ergo miscendo parum eius cum multo vini, facies claretum, aut aliud, iuxta id quod in ea dissolueris: siue sit aroma, siue radix, siue gummi: nam habebit eius odorem

&

& virtutem, pones vnam vel alteram guttam in calice vini, fiet illius saporis: atque ita qui vinorum varietate apud hospites gloriari volunt, facilè hinc assequentur quod quærunt parua (modò sciant) impensa. Parum item huius aquæ, sed bonæ, vt superius dictum est, facit multum pauciferi aut vilioris vini bonum: imò etiam corruptum rectificat, atque pendulum vinum minimo artificio non semel ego correxi & restitui hac mediante. quid quòd aqua communis cum pauca huius efficitur quasi vinum? vel etiam si scyphus in ea intingatur. Particularium ergo exempla & exercitationes, breuiter subijciamus: Ad rheumaticos vel hoc modo, vt alios omittam, prodest: si propè lectum aspergatur tegulæ candenti cum calamento, amaraco & huiusmodi, vt vaporem per os & nares recipiat. Ad rheuma descendens ad pectus, sumatur cum tragacantho, penidio, styrace, vel albo marrubio: ad corizam seu narium ex pituita obstructionem, trahatur cum succo hederæ terrestris. Contra narium fœto-

rem, cum castoreo vel euphorbio. Contra oris fœtorem cum nuce moschata & caryophyllis aut mentha. Ad faciei lentes, morpheam, seu alphos, & alias maculas, cum aqua rosacea, vel si fortius agendum, cum oleo tartari aut eius farina. Ad leprosorum pustulas, ne erũpant, cum succo fumiterræ, lapathi, & aceto. Ad cutim subtiliandam, sordes, & immunditias auferendum, cum forti lixiuio, melle, & farina lupinorum aut cicerum. Pustulis cum lithargyrio & oleo. Guttæ roseæ, cum sale, Mercurio, & sanguine porci. Morpheæ veteri cum cuperosa. Valet contra venenum ferè omne in cibum sumptum cum theriaca & nucibus. Ad venenum vermium & serpentum, cum succo porri. Ad morsum rabidi cum vrina. Ad omne vitium intestinorum & membrorum interiorum (intelligo ex causa frigida) cum ligno aloes vel moscho, vel mentha. Ad iliacam passionem cum cinnamomo, vel amomo, vel semine rutæ & similibus. Colicæ passioni & intestinorum dolori cum diacatholicone: vel, si fortius,

tius,

tius, cũ diaphænico. Testium infla tion cũ vuis passis vel cimino &c. Ad lũbricos occidendos cũ graminis radice, vel centonico, absinthio seu semine sancto seu Alexandrino. Vẽtriculo cõfortãdo cũ diagalãga. Hydropi ex causa frigda cũ cõferentib. Ita hepatis obstructioni cũ mentastro, origano, eupatorio. Abscessui hepatis, cũ absinthio &c. Ad syncopim cum osse de corde cerui, vel diamargarito, aut ocimi semine. Ad lethargiã cum ruta & aceto. Ad phthisicos cũ caphura. Ad hæmorrhoidas cũ sanguinaria. Pleuritidi cum scabiosa & scariola. Vrinæ difficultati, cũ helxine seu parietaria, paucedano. Ad impedimentũ coitus in frigidis & maleficiatis cũ diasatirio. nimio menstruorum profluuio cũ plantagine, præserrim extra. Suffocationi à menstruis, cum rosaceo inferius infuso. Excoriationi matricis: apostemati vberum: podagræ, ischiadi, paralysi mẽbri alicuius: quia vniuersalis nõ curatur, præcipuè inueterata. Cancro oris & gingiuarum, si in ore teneatur: dolori & motioni dentium. cancro virgæ & alibi siue interna siue externa fue

rit causa: anthraci & carbunculo iam ruptis. Fistulam mortificat, facta prius debita incisione. Omne vulnus putridum mundat & sanat. Curat quartanam si ante accessum sumatur. Ita cotidianã. Tertianã notã. Multa misceri possunt cum aqua vitæ: si gummi fuerint, dissoluantur, & addita aqua vitæ bibuntur. Herbæ terantur, & cum die vna steterint in aqua vitæ, colatura bibatur. Pulueres verò cum aqua dissoluantur & bibãtur: vel, pro delicatioribus, facta iusto tempore infusione, vel (pro delicatioribus auribus) diluto, & colo transfusa & expressa aqua, saccharo aut zulapio admisto, bibatur. Aqua vitæ cum vnguento malaxetur, & intus vtatur. Occidit aurium vermes si cum oleo persicorum distilletur æstate frigidum, hyeme calidũ, & stilletur guttatim & paulatim quoad vermes mortui esse intelligantur. Breuiter aqua ardens simplex valet ad casus multos, potissimum materiales & frigidos: & iuxta casus potes & debes associare (vt superius tactum) alia, vt in paralysi saluiam & similia, & curabit, in-

tus

tus extra adhibita. Superposita aqua ardens aquæ alteri vel vino aduritur, & alia aqua vel vinum manet. Si caphura imponatur aquæ vitæ, dissoluitur: & si infundatur aquæ communi, erit vt lac: si coletur per pannum, perdet caphurã. Item aqua vitæ sparsa supra saccharum propter loci humiditatem aut temporis resolutum, eum durificat & meliorē quàm ante facit. Item carnes, pisces, etc. Cruda vel cocta, si in ea stent, non putrescunt: sed quia fortem acquirunt saporem, lauentur antequàm edantur, nisi sint senes pituitosi, qui his ita vtantur si ferre possunt. Imposita denti concauo aut aliter dolenti ob frigidam causam, aut vermes, statim sanat. Capilli vncti propè radicem prohibentur canescere: imò cani, consumpto ita phlegmate, citrinantur: & multiplicantur capilli. Item torturam faciei subitam, si lauetur & bibatur, sanat. Curat salsum phlegma. eius vnctio circa palpebras aufert ruborem, lippitudinem, lachrymas, pruritum, & oculos euersos. Mirabiliter sistit lachrymas si apponas thuris

mastiches,ana, ʒ. ij. sanguinis draconis ʒ.j. si sunt oculi caliginosi propter telam aut pannum, vt vocant, aut ob defectū (ex obstructione) spiritus visiui, pone in vino folia euphragiæ, rutæ an. m. ij. verbenæ m. i. chelidonij parum: trita stent in vino nocte tota, & crastino stillentur. Item si fel perdicum cum aqua hac oculis imponitur, tollit caliginem. Curat surditatem potata & imposita auri cum bombyce maximè si in vino prius fuerint flores sambuci macerati. sumpta per os destruit phlegma stomachi, flatum, melancholiam, dolorem, vētris torsiones, omnem cibum citò digerit, consumit ciborum viscositates & stomachum mundat, calorem naturalem auget, corpus corroborat, iuuentutem seruat, ingenium acuit, & intellectum corroborat. Si melissa posita in vino distilletur, & ieiunus sumat cochlear, auget maximè memoriam. Eius odor occidit muscas & multa reptilia. Si mentha & saluia apponantur mirabiliter necat omne genus vermium, & præseruat à gutta, & curat habentem eam. Curat spasma-

ſpaſmaticos bibita, & loco dolenti ſępe appoſita. Curat paralyſim ſi nucha vel occiput, ſpondylia tota, humeri iuncturæ &c. vngantur & patiens bene regatur quo ad victum, & ſemel vel bis facta humorum præparatione in hebdomada dentur pilulæ cochiæ iuxta vires &c. Si ſaluia addatur, melior erit, & tremori etiam confert, & ſimilibus morbis. Valet potata cum ſuis appropriatis epilepſiæ, & etiam vncta, & continua per annum vel plus de manè, veſperi da diapliris cum moſcho, dianthos, diazingiber &c. Sit patiens boni regiminis, & portet zonam de corio lupi iuxta carnem nudam, & curat omni tempore & ætate. Item (facta conuenienti purgatione) ſi palatum & nares bene lauentur intra cum ea, curat apoplexiam, lithargiam, corizam, catarrhum, & omne genus rheumatis, & phantaſticam ac melancholicam paſsionem. Valet in omni dolore, morbo &c. ex cauſa frigida, ſi inſumatur & inungatur. Sola lotio cum prima aqua ſanat cancrum virgæ. Ad hydropicum frigidæ cauſæ, Recipe

aquæ ardentis libram vnam, olei iuniperini libras duas, mellis mundati quartum vnum distilla simul, & vnge ab vmbilico ad pectinem frequenter & diu vsquequo iuuet, & in cibis vtatur aqua ardenti, & de ea bibatur cum decoctione rubeæ maioris. Sumpta per os cum theriaca destruit omne venenum. Aduerte tandem, quòd quæcunq; species aromatica vel herba viridis aut sicca imponatur, manet virtus & odor, nisi violæ, cuius odor perditur: & si parum vini illius (vt superius dictum) in multo alio ponas, facies in promptu vinum caryophyllatum &c. Et ita quilibet intelligẽs potest aquæ simplicis aut compositæ vtilitates ad multa ex iam dictis extendere: hoc etiam animaduertens, vt in calidorum morborum medicina parum aquæ vitæ ponat, in frigidorum plus. Si radicem fœniculi mundam & incisam per rotulas in residuo aquæ ardentis (prima ex meliori extracta) ponas per horas viginti quatuor, post distilletur, ardebit vt prima: & est bona ad visum clarificandum & alias oculi passiones

nes

nies, extrahit ferrum à mẽbro, curat suppuratus. Si bibatur: sanat ficum, cancrũ, & omnia vlcera & vulnera à putrefactione seruat, abluendo & apponendo: curat omnem guttã & pruritum pedũ hydropicum de causa frigida, colicam & iliacam, parat matricem ad conceptũ & cætera multa.

Compositio grandis: Recipe saluiam, mentham, hyssopum, stœchadem picem, terebinthinam, oleum, sal nitrũ, sal commune, mastichem, mel, euphorbium, bdellium, sagapenon, opopanacum, pyrethrum, cappares, schœnanton, spodium, piper album & nigrum, castoreum, zedoariam æquis portionibus, moschi boni parum, ambræ, croci, ossis de corde cerui &c. Hoc summè valet & quasi miraculosè frigidis ægritudinibus, & etiam calidis si scias bene vti: eliciatur inde cum vino aqua in vitreo vase secundum artem.

Quidam non infimus vir, ex simplici aqua vitæ boni vini quinquies distillata, quæ adurit etiam lineum in quo stat &c. & de aqua sanguinis humani, (de

qua in hoc volumine) & cum diarhodone abbatis faciebat miranda: ita quòd nullam medicinam purgatiuam, alteratiuam, aut confortatiuam, faciebat sine his. Quantum ad laxatiuas capiebat, exempli causa, electuarium succi rosarũ, aut diacartamum &c. & solùm tertiam partem capit dosis solitæ, quam cum pauco diarhodone tẽperat in bona aqua vitę quæ illud tegat, & postea colat per pannum subtilem, & colaturæ addit aquam rei ægritudini conuenientis, vt apij pro cotidiana, endiuiæ pro tertiana &c. & facit dosim: quæ erit parua & limpida & multarum sellarum. Si ęther vel quinta Essentia sumeretur, res esset vt diuina. Si aliquis desperatè vomat, dat constringens vomitum, additque paucas guttas suæ bonę aquæ vitę. Et breuiter nihil operatur sine illa iuxta tempora, ætates, morbos, plus aut minus sociando: sed procurat habere bonam aquæ vitæ, bonam aquam sanguinis humani, & bonas aquas herbarum.

Nota aquam vitæ primò exeuntem esse meliorem: secundam deteriorem: tertiam

tertiam adhuc plus: cuius signum est, quòd tertia aqua est quasi sine sapore & odore. In metallis verò & cæteris quæ distillantur & è quibus elementa quatuor extrahuntur, omnino est & oppositum, quia primum est deterius. Scito denique quòd ex decem vini mensuris in prima distillatione habebis vnam aquæ mensuram, aut plus vel minus iuxta vini potentiam, bonitatem, & spiritum: in secunda verò distillatione ipsius aquæ dimidiam partem habebis: in tertia distillatione diminuetur de quinta parte: in quarta verò distillatione habebis aquam quasi tantam quantam in distillatorio posuisti. Et in septima idstillatione erit redacta quasi ad simplex: & dicitur perfecta quia mirabilia operatur: in decima autem distillatione dicitur perfectissima, & à corruptione omnino separata, quæ perfectissimos habet effectus: est enim res ineffabilis, omnium medicinarum mater & domina, atq; mirabilis contra omnes passiones à causa frigida & humida &c.

De aqua denique ardente omni, seu quinta Essentia, de modis distillandi, & similis argumenti rebus, qui plura nosse cupit, legat Hieronymum Cardanum lib. 10. de rerum Varietate, capite quinquagesimo, & libellū eius de Aethere: qui in genere subtiliter & paucis hæc tractat. Nonnihil etiam apud Ioannem Baptistam Montanum Tomo secūdo suorum Opusculorum, in libello de Vrinis, cap. decimotertio inuenies ex physices arcanis depromptum: Apud Ioannem Langium primi Tomi, Epistola 53. vt alios omittam omnibus ferè notos.

Aqua vitæ quæ vires habet ferè omnium confortantium medicinarum & sanantium præsertim in frigida causa.

Recipe saluiæ libram semis.
Absinthij drachmas duas.
Florum origani drachmas sex.
Betonicæ vnciam semis.
Rorismarini vnciam semis.
Maioranæ vnciam semis.
Pulegij drachmas duas.

Rosa-

Rosarum vnciam vnam & semis.
Hyssopi drachmas duas.
Satureiæ drachmas duas.
Petroselini & eius radicis ana vnciam semis.
Polypodij vnciam semis.
Pimpinellæ drachmas duas.
Tormentillæ vnciam semis.
Lauendulæ vnciam vnam.
Bistortæ drachmas sex.
Valerianæ drachmas duas.
Ostricij drachmam vnam.
Radicis Benedictæ vnciam vnam.
Rutæ drachmas sex.
Granorũ Iuniperorum vnciam vnam.
Zingiberis vnciam semis.
Nucis moschatæ vnciam semis.
Macis vnciam semis.
Caryophyllorum drachmas sex.
Cinnamomi drachmas sex.
Cubebarum drachmas duas.
Cardamomi drachmas duas.
Galangæ vnciam semis.
Granorum paradisi drachmam vuam.
Piperis longi drachmas duas.
Piperis nigri drachmas duas.

Croci drachmam vnam.
Calami aromatici vnciam ſemis.
Zedoariæ drachmas duas.
Baccarum lauri ſine cortice drachmas duas.
Foliorum lauri vnciam ſemis.
Coriandri vnciam ſemis.
Aniſi vnciam vnam & ſemis.
Liquiritiæ vnciam vnam & ſemis.
Theriacæ drachmas duas.
Manus chriſti vnciam ſemis.
Sacchari candidi vnciam ſemis.
Cimini drachmas duas.
Carui drachmas duas.
Dictami drachmas duas.
Rhabarbari drachmam vnam.
Nigellæ vnciam ſemis.
Corticum pomi arancij vnciam ſemis.
Conſeruæ roſarum vnciam vnam.
Pſidiæ drachmas duas.
Mellis libram ſemis.
Vltimo pone moſchi & ambre griſeæ ana gr. 4.
Caphuræ drachmam ſemis.
Sacchari albi vnciam vnam.
Vini ſublimati quinquies de vino, & de fæcibus, menſuras tres.

Radices & herbæ groſſo modo.
Contuſæ imponantur diebus tribus in cãtharo bene clauſo, quarto dieſublimetur totũ, poſtea ſpecies cõtritæ imponãtur, nõ cribellatę: & mitte ſtare 10. dieb. in cantharo bene clauſo, & omni die, vel alterna, commoue, deinceps totum ſublimetur in vitrum ſtricti colli, ſuperponendo clepſydrã beneq; claudendo ne expiret aut euaporet, & cum album velut ſerũ exiet, vel fœtẽs, tunc ſufficit: & tunc impone vltimò moſchum, ambram, caphuram, & ſaccharum contuſum, alia verò tria non contuſa: tunc ſtent tribus vel quatuor diebus, omni die mouendo ſemel vel bis cum lignea ſpatula à fundo, tunc iterum ſtent tribus diebus vel quatuor donec reſideat, tunc clarum effunde colando per ſindonem in vitrum: vltimo verò cum turbidum efficietur, iterum commiſce, & iterum reſideat, tunc iterum cola vt prius, & ita continua donec clarum totum habes, quæ omnia ſimul miſce ſeruando in vaſe ſtanneo, quoniam vitrum deſtrueret: reſeruetur in loco nõ calido: &

virtus eius durat ad tres annos & vltra, quoniam per successum temporis fortificatur eius virtus.

Quando vti volueris tunc recipe ex eo in paruum vitrum, & reliquum iterũ bene lutando, serua. Potest confici quocũq; tẽpore. Reliquias aũt poteris exiccare in vmbra super panno: & tunc totum impone duabus mensuris vini clari & boni decem diebus in cantharo obstruso (sed omnia prius contunderem) dehinc sublima, sublimatum serua in vase bene obstruso, & erit aqua nobilis, licet non ita vigorosa sicut prima: valet enim pro vngendo exterius, vel in panniculo superposita in multis infirmitatibus.

Considerare autem te oportet, vt in omni distillatione lutes vasa benda tincta in pasta ex farina alba, ne euaporet virtus, & si inflammaretur difficulter extingueretur: Primò enim debet fieri ignis de carbonibus fortibus donec calefiat in tantum vt adhuc manu sustinere valeas superius, tunc ignis minoretur, considerans vt continuè distillet

lento

lento igne, vt sustinere valeas manum superius: non sit etiam ignis nimis lentus, ne exiccetur materia in olla & non distillet. Notabis etiam sæpe digito capiendo, nam quando virtus minueretur, vel non bene sapit, & turbetur vt serum, tunc sufficit: quoniam defœdaret præcedentem: quam seorsum seruabis, vt supra dictum est. Si verò inflammaretur in sublimatione, tunc funde aquam in ignem & extinguetur, & non aperies vasa donec distilletur totum. Hac aqua poteris vti in cibo vel potu, multum vel parum secũdum conuenientiam, tamẽ melius in sero vel manè: imponatur mica panis in cochleari, & affundãtur duę vel tres guttę & comedantur, quoniam cerebrum confortat & omnes virtutes corporum corroborat, confert omnibus ægritutidinibus, omnes superfluitates emẽdat tam in causa calida quàm in frigida: omnia membra conseruat in naturali dispositione, tam exteriora quàm interiora si quis ea omni die vsus fuerit vt præfertur & sequitur: habet enim virtutes omnium medicinarum.

Infra triginta annos existentes non debent ea multum vti, nisi in infirmitatibus constituti, tunc possunt vti quotidie, multum vel parum iuxta exigentiã morbi, & secundum quòd sentiunt vtilitatem. Vltra verò triginta annos existentes, possunt vti cotidie, & quanto seniores, tanto magis possunt vti: quoniam virtutes totius corporis cõfortat, vt homo ad senectutem perfectam attingere posit.

Confert etiam omnibus ægritudinibus interioribus vt supra, vel exterioribus exterius peruncta. Confert & tempore pestilentiæ sumpta vt supra, vel cum theriaca sumpta, vel exterius circumcirca linita digito. Quicunque etiam ex ea sumpserit tres guttas manè eo die non incidit in pestem. Aegrotantium nares ea linire multum confortat: summa est etiã medicina apoplexiæ & aliis ægritudinibus frigidis. Si volueris potũ delectabilem habere, tũc duas vel tres guttas pone in vitrum plenum vino, contectum: nam breui fiet satis delectabilis potus.

Sumpta

Sumpta vt ſupra confert ſtomacho frigido, & viſcoſis humoribus eius, ſi hoc facit octo diebus, & exterius ſecundo vel tertio die perungatur, donec ſatis ſit.

Quibusdam melius eſt ſumere ad intra, quibusdam ad extra peruncta: nec vllus eo tempore aliam ſumat medicinam, & frigidi plus ea vtantur quàm calidi.

Si quis caput frigidum vel humoribus repletum habet, recipiat ex hac in os ſuum, & teneat in ore non tranſgluttiendo, poſt modicum recipiat aquam ex ore in manu, qua liniat & fricet occipitium, tempora, & mittat ſuper caput vbi eſt commiſſura anterior.

Alia optima ac mirabilis aqua.

RECipe cinnamomi, caryophyllorum, cubebarum, macis, nucis moſchatæ, granorum paradiſi, ſpicæ nardi, piperis, zingiberis, maſtichis, piperis longi, aloes, galangæ, zedoariæ, liquiritiæ, ana, drachmam vnam. Omnia terantur & puluerizentur, & ponantur in ſacculo lineo ſubtili, deinde recipe

vnum petitum (est autem genus Italicę mensuræ) cum dimidio boni vini albi, & prædictum sacculum cum aromatibus permitte stare per diem naturalem intus sæpe sępius mouendo sacculum, deinde claude vrinale cum suo alembico modo quo claudi potest, & pone ad ignem lentum ad distillãdum cum suo tamen recipiente.

Aqua hæc, has habet proprietates, quòd est leuior & subtilior cunctis: & habet omnes virtutes balsami, & natat super omnes liquores & super oleum, & accensa ardet sine fumo, & habet maximos odores: & si quis biberit vnam particulam cum medio ciatho vini semel vel bis ad plus in septimana, conseruat & augmentat visum, & repellet membrorum tremorem, iuuentutē conseruabit, omnes ægritudines (à causa præsertim frigida & humida) expellet, faciet hominem robustum & iucundū.

Aqua ista extrahit à cunctis fructibus odores & sapores si in ea ponantur &c.

EXCELLENTISSIMI MEDICI MICHAELIS SAuonarolæ libellus singularis de arte cõficiendi aquam vitæ simplicem & compositam: Et de eiusdem admirabili virtute ad conseruandam sanitatem, & ad diuersas humani corporis ægritudines curandas.

CVNCTIS BONARVM scientiarum Cultoribus Valentinus Kobian. S. D.



ERTE mihi videor rem pergratam me vobis facturum, si diu absconditos & nimis deprauatos, ex mea officina non modò correctiores, verùm & elegantioribus typis reformatos publicauero, maximè illos, quos expertissimi medici pro bona tuenda valetudine (qua nihil à mortalibus magis desideratur) aduersusq; propellendos morbos conscripsere. Quanuis autem in omni facultate repe

riantur codices adulterati ac mendosi, hoc tamen frequentius euenire solebat in medicina præsertim vbi committebantur illis vel exscribi vel excudi, qui medicorum characteres non intelligebant, & quas vocant abbreuiaturas penitus ignorabant. Idipsũ & in præsenti opusculo perpetratum esse cognoui, erroribus enim vndiq; non paucis scatebat, quos ipse diligenter feci expurgari & libellum authoris instituto fideliter restitui. quare id laboris nunc loco preciosi muneris suscipite, posthac verò vobis, Deo duce, maiora communicabo.

Valete.

AD

AD DIVVM LEO-NELLVM MARCHIONEM

Eſtenſem Libellus de Aqua ardenti Michaelis Sauonarolæ Phyſici ſui, feliciter incipit.



VM vir grauiſsimus Antonius Roſellus vtriuſq; iuris ſplendor, quædam illuſtriſsime Princeps, de ardenti aqua me conſuleret, ídque a me intelligere maximè cuperet, cum eius continuo vſu delectaretur ſi capitis tremorem in poſterum allatura eſſet, in quem opinione multorum ſe incidere verebatur: Ego quidem cum ſui beniuolentiæ plurimum aſtrictus eſſem, auidus nimium honeſtam hanc petitionem perſoluere, quædam pauca de ea colligere atq; aperire conſtitui, vt pergratum quicquam ſibi facerem, quo mihi etiam ſatisfactum foret. Verùm cum ſic volumina quædam reuoluerem planeq; intelligerem rem

hanc maturius cõsiderans de qua post tuæ valitudini vitæq; tuæ prorogationi sic accedere posse, & his cum semper dies noctesq; peruigilem, statui hunc libellum sic edere, & plurima laude atq; experientia dignissima colligere, vt tuę producendæ vitæ, nominisq; tui quod nimis cupio, per me sic occasio daretur. Verùm optarem illustrissimè Princeps eam in me facultatem eamq; de re doctrinam cognitam esse, qua integerrimè tibi & mihi de hac ipsa re satisfacere potuissem. Res quippe non minus pergratissima tibi quàm mihi fructuosa erit. Nam cum tenuem eius agnitionem in me sentiam, non est quin dealbescam illam sic dignificatam inaniter aggredi: eoq; vehementius cum à veteribus nostris nihil scriptum authẽticumq; comperiam, & in nouis Modernorum codicibus non nisi perpauca admodũ perlegerim. Quamobrem admirari non debes, si rem mihi hanc grauem ad scribendum sic constituo.

Admirari satis nequeo rem tantam maiores nostros latuisse, aut si eam calluerint

luerint, ſuis codicibus non inſcripſiſſe. Verùm cum aliquando per libros medicorum tum ſententia, tum auctoritate dignorum euagarem, vt de ea aliqua inueſtigare atque dignoſcere poſſem: poſt Thadæi magni medici grauiſsima conſilia de ea aliqua perlegi, quæ & audita & in libris Alchimiſtarum lecta, cũ laude digna ſint, hoc meo opuſculo inſerere ſtatui. Neq; arroganter à me ſcriptum eſſe credatur, cum tantam rem ſic neſciolus aggreſſus fuerim, ſed id à me actum eſſe, vt ſic doctior euadam poſteritatique proficiam, ac vt obſeruantiæ tuæ, cui plurimum debeo, ſatisfaciam. Si ergo accuratè minus quàm res ipſa expoſtulare videtur, conſcripſero, Lectores æquo patiantur animo, velintq; magnitudini rei, non arrogantiæ meæ, id aſcribere. Nam eius magnitudinem, admirandamq; excellentiam ex dicendis planè intelligent, qui nedum vitæ aquam, ſed benedictam diuinamq; profectò prædicabunt. Non ita quiſpiam miretur, ſi inter mortales apud eos maximè qui Septentrionalem plagam in-

colunt tanta in veneratione digna habita est, sicque eam tantum dilexerũt, quã cũ gustaueris, eã in dies magis magisque coles atque magnifacies. Quamquidem ego in posterum diligere atque etiam colere, quàmmaximè constitui, eamque in curis per me agendis diuino etiam auxilio ducere. Ea nanque medicinarum calidarum magistra ac parens prædicatur sanitatis humanæ conseruatrix optima ac deperditæ mirabiliter restauratiua, & in eius prosequendas laudes nõnulli tantum exarserunt, vt dicere non dubitauerint, ex eius vsu hominem nũquam ægritudinem habiturũ à qua sanari non possit. Voluntque præterea ad conseruãdam producendamque vitam, commoditatem auxiliumque non paruum afferre, vt ex eius vsu vita quasi perpetuetur. O nimium admirandam, venerandam excolendamque rem. Et quoniam videre videor quòd tua nimis auida est expectatio, vt quid de ea sentiam, facili meo iudicio scribam, tuæ satisfaciens voluntati, breuioribus, quoad potero absoluere tentabo, eam tantummodo

attin-

attingens, quæ ad communem hominum vſum venire ſolita eſt. Neq; Raymundi viri quippe diuini ſententiam ac plurimorum qui de ea ante ſcripſerunt, perſecutus ero, qui aquam vitis Eſſentiam quintam nempe vocari voluerunt, ſuis in actionibus eam cælo comparantes.

Nam quemadmodum cælum Eſſentia quinta nuncupatum, elementa, elementataq; ipſa infra lunarem orbem ſita rectè diſponit, gubernat & à putrefactione ſuo diuino influxu obſeruat, ſic & vitis aqua quæ in corpore humano microcoſmo dicto membra compoſita ſunt, rectè diſponit ac conſeruat, ęgritudines repellens & ſanitatem inducens vt ex eius moderato vſu mundum ipſum minorē ad eos trahat annos, quos ſua in creatione ſummus ille rerum opifex ſibi, vt ſua exiguit complexio, donauit.

Et ne hoc in loco ab ea ſic vacuus diſcedam, cum eius nomen maxima in veneratione habeam, id mirandum diuinumq; ſecretum tacitus non præ-

teribo, quod hi & clarissimi viri suis in scripsere codicibus. Arbitrati equidem sunt, ne absque rationali causa fundati, aquam ipsam Essentiam quintam appellari debere, cum suis in effectibus quintæ veræ Essentiæ sic agendo assimiletur quos in vigore elementorum, aut primarum qualitatum minimè producere: quam rem declarantes aiunt.

Non enim vt aqua agit cum ardeat, neque vt terra cum potenter calefaciat, neque aeri comparabitur, qui citò corrumpitur & putrescit, & res occultas, cum ad eum perueniunt, alterat & putrefacit, vt in exitu zirbi est videre. Hęc autem non facilè putrescit, sed res ipsas à putrefactione defendit. De quo post igneam non esse sic comprobant: quoniam morbos curat calidos & exterminat, eosque euanescere facit quibus inducunt in se temperamentum obtinere humanum velintque sic vnguento Thessali medici sibi diuinitus dato comparare quod in omnibus ægritudinibus administrabat. Calidos enim frigefaciebat, & frigifacti eo calebant. Sic enim non

elementari, ſed cæleſti virtute dotata operari aiunt: dicuntq́ ſuper linguam poſita neq́ humiditatem neq́ caliditatem imprimere, & in ore, fragranti & inuſitato odore redolere. Nam humiditatem aqueam & igneam caliditatem primasq́ elementares operationes per circulatas ſublimationes omnino deperdit. Per eaſdemq́ multiplicatas forma eius, nouam, puram ac glorificatam ſiue cæleſtem materiam induit.

Neque aqua omnis ardens eiuſmodi eſt dignitatis, ſed quæ Eſſentia quinta nuncupari digna eſt, per multas ac plurimas circulatas ſublimationes diuino eſſet influxu confecta. Cuius ortum, ac nimium ſtupendam confectionem hoc ſuauiſsimo ſigno comprehendimus. Nam cum te ſic illam confeciſſe putabis quibusdam in diebus cum luto Sapientiæ optimè clauſam retinebis, & poſtea ſi aperto foramine domus tota redolebit, ita vt nulli mundi fragrantia ei comparari poſſit, veluti nulla dulcedo ei quæ in ſpermatis emiſsione. Sicq́ ab omnibus odor hic ſuauiſsimus iudi-

catus quasi à sublimi gloria descẽdisse. Nil vereare ad eam Essentiam sic peruenisse, ad quam, vt arbitror, nullus medicorum nostræ ætatis iam peruenit. Et huius ignorantiam disgrediendo parumper aperiẽs, id scribam, quod meo facili indicio verum esse putaui.

Ars enim hæc alchimia nominata, verissima est, cuius falsitas & ignorantia sic ad nos peruenit: Nam cum nimium preciosa fuerit, homines sic ex ea ditari studuerunt & ad pessimum auaritiæ genus se cõuerterunt, alios docere noluerunt. Et quibus notitia grandis & clara fuit, quæ sciuerunt per terminos alijs incognitos in scriptis reliquerunt: tantumq́ in arte cum terminis incognitis processerunt, vt sic res sua tam preciosa, atq; cara, auaritia coinquinata, nos sic lateat suis cum cifris semper scribentes. Verùm cum hanc diuinam tamq́ secretam à me expectari minimè sentiam, ad ea quæ de aqua ardenti tantummodo dicenda sunt, me cõuertam. Fecit nanque vocabulum ipsum atque nomen, vt de ea quam conceperam,

plurima diſcurrerem.

De eſſe ardentis aquæ. Cap. I.

ET quoniam quid nominis doctrinæ vniuscuiuſq; principium exiſtit, hinc ardentis aquæ deſcriptionem in primis aggrediamur.

Aqua ardens ſimplex, quæ in vſum medicinæ venit, eſt vini pars ignea ſiue ſpirituoſa quæ per vnicam ſiue per plures ſublimationes ab eo egreditur, in colore aquæ atq; ſubſtantię veniens.

Nomen autem aquæ à colore aquæ & ſubſtantia aſſumpſit, & ardentis nomen ab effectu accepit, cum madefacta in ea pecia ſubaccenſo igne ardere videatur: Simplicemq; deſcripſimus, cum ſuo in loco de compoſita dicendũ erit: additumq; eſt in vſum medicinæ, cum de ea, vt quinta Eſſentia extat, noſtro non conueniat negotio. Nam ſi eam magnopere cuperem, hoc tamen in loco ſilentio prætereo. Eſt deinde nedum ſpirituoſa vini pars, ſed vera eius anima appellanda, quæ trina ſublimatione ab ea egreditur. Bina autem

& quaterna maiorem & minorem subli mationem nobis designare sufficiat. Hæcq; communis est.

Verùm nonnulli aiunt adusq; septimam vel decimam sublimationem diuinam penitus egredi aquam, quam Essentiam quintam vocant. Hocq; per difficillimum facio, cum in fumum & in ita spirituosam ac facilem prius egredi arbitratus sim. Hancq;, si non deceptus fui, calentem nimis non his conditioni bus, vt actum, associatam gustaui.

Est & aqua vitæ dicta, quoniam in vita prorogationem quàm maximè conferre sentiat. Sum etenim memor eius verbi quod sæpe hilari corde grauissimus ille vir ac in orbe sua in ætate clarissimus medicus Antonius delascarparia exclamando pronuntiabat, qui dum octuagesimum annũ duceret, dictabat. O aqua vitæ per te iam mihi vita annis 22. prorogata fuit.

Et iam nostro in tempore extat eximius medicus practicusq; famosus Iacobus Parmensis anno iam nonagesimo proximus, cuius vsu sibi vitam in lõ

gum

gum productam arbitratur.

Extant plurimi tales, qui & auctoritate & veritate digni sunt, exẽplo quorum ad eam colendam bibendamq́ꝫ sibi esse persuaserunt. Neqꝫ hoc in loco tacitus præteribo illustrem Mantuę primum Marchionem Ioannem Franciscum, in cuius vsu nimiaq́ꝫ eius quantitate quàm plurimum delectabatur. Is cum frigidi stomachi esset ventositate frigidisq́ꝫ humoribus non rarò vexaretur, me audiente, dicebat. Cum multiplicis ordinis medicamenta in talium remotionem tentasset, nullum quippe tam salutiferum tamq́ꝫ subitum vt aquę ardentis sumptio.

Eumq́ꝫ admonuisse dicebat illustrem physicum suum Ioannem de Tolentino qui, vt arbitrabatur, longissimis sic ex eius vsu se in annis superuixisse. Ego quidem eius vsum ita frequentem tantaq́ꝫ in quantitate minimè laudabam propterea, quoniam frigidi & debilis stomachi erat: Vsus rerum nanqꝫ nimium calidarum innatam caliditatem debilẽ resoluit, cum eius humidum substan-

tiale consumet, quo & ipsa pabulatur. Quamobrem ab eiusmodi calidis, frigidi debiles existentes plurima eorum quantitate abstineant.

Eius enim cum tanta quantitate sic continuus vsus illum ad eum errorem perduxit, vt sic debilitate stomachi aucta, omnia nutrimenta in ventum conuerterentur. Verùm ad hanc augẽdam sex nõ naturalium rerum inordinatum regimen, vt arbitror, quàm plurimum valuit: sicq́ ex ea sola causa eius vsus clarè redargui non potuit. In quinquagesimo autem & quarto suæ ætatis anno mortem cum vita cõmutauit. Aqua autem hæc apud Modernos, quàm Veteres, laude digna magis facta est: cuius dignitates suis dicemus in locis: quibus sic omissis, ad instituta prosequamur.

Aqua hæc ardens ex colore & instrumento nomen aquæ vitis sibi associauit. Ex colore, vt actum, aqua dicitur. Ab instrumento verò antiquorum vitis dicto in modum vitis retortæ facta, à qua vitis appellata est. Nonnulli autem

tem cum instrumentum hoc caput & caudam habere videatur, sitq; vt serpẽs retortum nomen ab ipso trahentes eam aquam serpentinam appellarunt. Hæc autẽ & si quintæ Essentiæ in quàm pluribus effectibus proprietatibúsque conuenire videatur, ęquè perfectos nõ tamen, vt illa, producit, neq; in delendis ægritudinibus calidis vim tantam posside re sentitur. Nam elementarem naturam atq; igneam sapere experientia comperimus: Qua ex re, vt Essentia quinta, non est veneratione digna. Volo enim hoc in loco tantùm de esse ardentis aquæ in præsentiarum dictum.

De diuersis modis in compositione ardentis aquæ. Cap. II.

INgeniati sunt quàmplures in diuersificando modum & instrumenta cõpositionis ardentis aquæ, quorum ingenia hîc breuioribus discutiam, vt nostro opusculo aliquid non minoris vtilitatis quàm laudis, accedat. Nam cum ita colere, illamq; tantum mortales dili-

gere ſentiam, nil aut longum aut breue intexere, tædioſum eſſe putaui. Quamobrem eos quos noui modos conficiẽdi nouos, quos tibi pergratiſsimos futuros facilè intelligo, inſcribere non dubitaui, tum etiam quòd eorum cognitio non parum noſtro conferet negotio.

Primus quidem & Antiquorum modus is eſt qui vitæ plumbea aut ſtannea eius in confectione vtitur, qui cum cæteris ad intelligendum perdifficilior ſit, illum paucis, etiam ſubiuncta figura, ſatis apertè tibi reſerabo. Vas autem in quo vinum in primis locatur cucurbita magna eſt & ęnea intus ſtãno ornata, in qua trina confixa ſunt roſtra, quorum primum parte in ſuperiori locatur, per quod vinum imponitur. Alterum ad medium cucurbitæ ſituatur, cui & vitis roſtrum coniungitur, per quod diſtillatur aqua. Reliquum in fundo vaſis ordinatur, per quod inutile remanens eijciatur. Quæ res ſic præcipuè ordinatur, cum cucurbita fuerit cum fornace coniuncta: quòd ſi ab ea ſeparata erit, duo nobis roſtra ſufficient, primum videlicet

eet & secundum. Nanqꝫ cucurbitam in fornace decenter locabimus, vt si rostrum medium superemineat, cui tina adhærebit siue ligneum vas, vitis quantitati proportionatum, aqua frigida plenum in quo vitis ipsa resideat. Cuius superior extremitas cum cucurbitæ rostro medio ipsum penetrando contiguetur: posteaqꝫ Sapientiæ luto optimè sigilletur, ne inde fumus siue vini spiritus egrediatur. Reliqua verò vitis extremitas inferior in orificium recipientis vasis penetrando ingrediatur. Hęc, vt actum, luto eodem conglutinetur. Sit itaque ignis lentus, clarus, suauis de quo post. Is est Antiquorum modus & ad vsqꝫ nostram seruatus ætatem. Et ne instrumentum feruore aquę destruatur & vaporum eleuatio, nec resolutio fiat, opus est quasi continuè tinæ aquā innouare, & ne ebulliat defendere. Quapropter qui ardentem aquam magna in quantitate conficiunt, currētis aquæ loca quærunt, cum eius frigiditas non nocere, verùm ad eius perfectionem videatur accedere. Nam antiperistasi vi-

ni ſpiritus ſic fortificantur, & eorum re-ſolutio prohibetur. Et, vt quæ ſcripta ſunt planius intelligantur, hîc in plano vaſa ipſa configurabuntur, quorum cõ-poſitio ac coniunctio facilè comprehẽ detur. Plures autem ex Modernis alchi mizantes, cum ardentis aquę excellen-tiam excollendamq́ dignitatem planè intelligerent, curam non minoremq́ di ligentiam ac ſtudium in eius confectio nem quàm Antiqui hahere viſi ſunt. Eius fabricationem in vaſe vitreo lau-dantes magis, qui ſibi rotundam forna-cem ſtatuunt, duobus duntaxat digitis fundo à terra eleuato, in quo foramina quinq; componunt, vt ſic per illa aer in gredi poſſit: indeq́ ignis melius euenta ri. Qua ex re vt continuò euentetur, fla bello non opus eſt, parteq́ in ſuperiori in vno quoq; eius angulorum quatuor foramina componunt, vt per ea & fu-mus & ignis ſic decentius exhalare poſ ſint. Habent deinde tegulã quam dicta in fornace reponũt, cuius fundus aduſq; duorum digitorum altitudinem cineri-bus tegitur, bociaq́ duobus eſt digitis

ipſa regula vel olla ſtrictior. Et locus il-le ſic vacuus remanens bociam circuēs aduſque medietatem eius & paululum vltra, cineribus repletur.

Quibus peractis, aduſque vaſis medietatem vino repleatur & aliquantulum infra, vt locus amplior vaporib. detur: Et poſtea capellum ſuperimponatur luto Sapientiæ aut farina & albumine oui papyroque humida diligentiſsimè carminata confecto, aut ex calce viua albumine oui, vel quomodolibet præparato vndique ex induſtria obturatum, ne inde aliqua interueniat reſpiratio. Cui quidē rei ſemper intenti ſint, caputque deinde ſiue capelli roſtrum cum recipientis roſtro, eodem cum luto optimè congluti-nentur: fiatque deinde ſuauis ignis & clarus, vt actum, ſicque egredietur aqua. Neque prætermittendum quin frequenter capellū pecijs in aqua frigida prius infuſis inuoluatur, ne nimia caliditate ceſſet actio. Aqua enim ſic ſua frigiditate cauſa eſt: vt vini vapores in aquam conuertantur, & ne eorum ſolutio fiat. Ii etenim modi duo, noſtra etiam ſe ruā-

tur ætate. Eorum bonitatem & excellẽtiam, vt Principum moris est, nimia te fortassis cum auiditate expectare sentio, vt quæ eligibilior sit, quæúe ad humanæ vitæ rationem magis accedere à me iudicetur. Rem quippe humeris meis grauem assumere sentio, cum ex vtraq; parte rationes non desint. Verùm tanta est tua in me obseruantia vt nil mihi tam graue, durum, asperumq; sit, qui lubens faciam. Quamobrem ad id aperiendum, vt facultas mea patietur, pace Antiquorum, me conuertam, quod facilè meo iudicio verum esse puto. Et, vt res nobis planior fiat, cuius disceptationem nullo in libro hactenus perlegi, rem ipsam in controuersiam aperire tentabo. Habet Antiquorum modus (qui profecto maxima in veneratione à nobis habendi sunt, quorum studijs plurima nobis reserata fuerunt) pro se probabilem rationem hanc.

Quanto aqua hæc temperamentò humano quintæq; Essentiæ propinquior, tanto eligibilior habẽda est. Sed quæ ex vitæ exit, huiusmodi est: Itaque eligibi-

eligibilior, digniorq́ dicetur. Hæc autem per tot circulationes plúresq́ multo ea quæ ex vitro exit de natura elemẽtari deserere cælestiq́ sic magis appropinquare videtur, cum sic circulando continuè subtilietur magis. Aiunt enim Philosophi sic per circulatas distillationes multiplicatasq́ quintam fieri Essentiam: potentioremq́ affirmant cum vini spiritus sic vniti magis transeant ob contrarietatis continuam persistentiã, sicq́ penetrabilior ac suis in effectibus potentior. Aduersantur autem Moderni arbitrantes tot circuitiones ad eius debilitatem accedere, cum sic densam substantiam spiritus tam longa & in via plurimum derelinquant: rei etenim potentia multitudinem formæ fortior fit. Adduntq́ præterea continua ex aquæ frigidæ persistentia debilitari magis, cum contrarium fortè sui aduersantis potentiam minuat, & debile fortè faciat, vt in fabrorum actionibus in dies concernimus. Cum etenim fornacis ignem vigorare curant, aqua frigida ipsum leuiter aspergunt. Cum verò ex-

tinguere tentant, plurimam super infundunt. Neque hæsitabo cum ad salutem grandem accedat hoc loco commemorare Principis nostri verbum, & in dictorum robur. inquit de cura Pestis: Et aqua plurima frigida subito est iuuatiua valde. Pauca autem consequenter ita excitat caliditatem. Quare præstantior quæ alembico conficitur, cum non tãta nonque ita continua infrigidatio fiat. Estque ignea magis, cum maiorem caliditatis intensionem igne suscipiat. Aqua enim vitis intensioris ignis negotio eget: & subtilius considerantes illã, detestantur malas qualitates occultas & manifestas ab instrumento recipientem, cum plumbi fumus cerebrum ac spiritualia lædat: sitque epilepsiæ vertiginis (adusti præcipuè) facturus.

Qua ex re Princeps: & timeatur eius odor apud adustionem, & eius limaturam inter venena annumerat. Amplius cum frigidę sit & humidæ naturæ, sic aquam ardentem calidam & siccam sua in complexione denigrare iudicatur.

Vitrum

Vitrum autem non sic lędere, sed auxilium sua complexione pręstare videtur cum siccæ ac calidæ naturæ sit, corporiq; humano disportionatum, non lædens, sed, inquam, pluribus suis virtutibus adiuuans: qua ex re Modernorum modus eligibilior. Et si probabiles rationes vtræq; vt ponderosa ac difficilis sit futura sententia: hunc tamen vltimũ, vt Antiquorum pace semper dixerim, mihi eligibiliorem facio, cum non parum verear plumbi qualitates. Neque sic antiquos redarguere pręsumo, quos & fortiores rationes non latuere. Sed in his quorum experientia sententiam non ducit in medium, in quibus probabiles rationes adduci consueuerunt, opiniones diuersas generari sæpe solent. Nam & ob eam rem medici ad inuicem sunt non rarò litigantes. Nam si alijs modis operatam nos habere contingeret, de quibus statim, nil supra iudicarẽ. Verùm antequam ad eos prosequar, hîc in plano fornacem suo cum alembico designabo.

Et plurimi magis alchymizantes vt

omni in arte negociatiuam fieri comprehendimus, bociam in fimo putrido equino sepeliunt (quem nomina artis occultantes ventrē equi nominant) capellum aeri expositum relinquentes, vt aeris frigiditate vini vapores ingrossentur, sicq; in aquam conuertantur, vt in thermis videmus, cum aquę vapores ad lapideum tectũ perueniunt. Hancq; cæteris præstantiorem esse aiunt, cum calore viuificatiuo atq; cōplexioni humanæ proximiori confici videatur.

Neq; hanc quadam denigratione vaca reputo, cum in omni artis negotio id accidere soleat, vt alter altero doctiorem sese facere studeat, nouus alius surrexit modus, quo æstimatur sic quintã fieri posse Essentiam. Bociam autem cum capello fortibus radijs solaribus exponere ingeniantur, vt inde sic aqua fiat, quemadmodum ex rosis alijsq; her bis in dies fieri videmus: possibilitatém que rei declarantes, cum elemētare cor pus radijs solaribus in speculo concauo coniunctis igneatur, quo fit, vt aiunt, multiplicatis sic distillationibus, inde

inde Essentia quinta exeat humani corporis viuificatiua.

Hanc quidem diuinam & cælestem Philosophantes appellant, quoniam diuino calore ac cælesti confecta sit. Id tamen perdifficillimum apud nos esse arbitror: neq; vno in anno plures distillationes fieri posse. Verùm apud Orientales id fieri non impossibile est. Quòd si tali quispiam vsus esset, dicere non expauesco in vitæ conseruatione quàm plurimum conferre. Nonnulli ad balneum duplici in vase conficiunt, quam quidem efficatiorem potentiorémque esse arbitror, cum alijs in aquis experiẽtia sentiamus efficaciores potentiorésque esse, quæ in balneo sic conficiuntur his quæ in fornace distillantur. Nã per balneũ subtilium partium & aerearum resolutio prohibet̃, fumoq; ac malo odore carent. Surrexerunt quidã magis atq; magis in arte doctiores, qui nouo & inusitato modo ad candelam igne perpetuo eam sic distillando conficiũt, quibus visum est mitiori calore ac humanę complexioni propriori sic confi-

ci posse. Is autem modus solùm in arte doctis cognitus est: quem comparem facio ei, quem ex sole laudauimus. Quibus facilè comprehendi potest, quàm mitis, acerba, quamq; suauior fieri poterit.

De materia ardentis Aquæ. Cap. III.

ET quoniam modis his à me plusquàm satisfactum esse intelligo, dignum arbitratus sum ea aperire quæ in eius congrua factione scitu sunt necessaria.

Et vt processus noster physicus ac rationalis existat, ab eius materia exordiũ sumam, quæ veluti singulare ac preciosum elementum quærenda est. Omnis nanq; forma in actionibus naturalibus materiam præsupponit, non autẽ creatio. Cum itaq; naturales simus, deq; naturali actione agendum, materiam ipsam venari primitus institui.

Vinum igitur ex quo aqua ardens confici debet, dotibus his ornatum esse oportet: vt quòd purum, vetus, non maiori quàm annali vetustate: quod

nonnulli nouum appellant annosi & medij comparatione, de quo post, potens, odoriferum, suaue, gustúque delectabile. Aqua enim ardens, vt actum, spiritus siue vini anima est. Anima quidem vitiato corpore vitiatur: eóque permaximè cum pars corporis, & si nobilior, extet. Ideo aquæ mistio vini spiritum siue animam vitiat & extinguit. Quo fit vt ex impuro confecta in expectatas non exeat operationes. Annale quidem, vt purius, clarius, potentiúsque reddatur. Potens quidem, vt potentiores digniorésque inde effectus proueniant, quibus inducitur, vt cæterorum paritate seruata, nigrum albo eligibilius sit, cum densioris sit substantiæ, plurique forma abundet, cuius multitudine potentia augetur. Nigrum autem abundantiorem emittit materiam validiorémque substantiam, & si fortasse non tam penetratiuam. Qua ex re vinũ nostra in regione Marzeminum dictũ hac in re duxi conuenientissimum. Clarum esse oportet vt quantum possibile est à terrestri materia elongetur. Odo-

riferumq́; eligatur, cum odor ipse suauis spiritus humani naturæ conueniat, vitalem pręcipuè virtutem iuuando humanarum virtutum omnium robur ac parentem quàmmaximę colendam. Nam vt in horas videmus, suauissimis odoribus animalis virtus vitalisq́; suscitatur. Quid igitur iudicandum est cum fœtido ac putrido vino ipsa conficiatur aqua? & si ex sublimatione rectificari videatur. Nam hoc in loco mihi in testimonium adducam illud grammaticorum verbum: Omne deriuatiuum sui primitiui naturã sapere. Et sit gustu delectabile ac suaue, cum ex hoc appropinquare magis temperamento videatur humano. Gustus enim quidam tactus est. Tactus verò bonitatem temperamenti enuntiat. Sic facilè intelligi potest quantam vim habeat acetosum ac malo sapore infectum.

Hæsitabis fortasse si dulce eligibilius erit, neq; hæc facilis est dissolutio cum in ea sapientes discordes inueniam. Discordia nanq; sapientum in re difficultatem arguit. Ego quidem sententiam

meam

meam, pace aliorum, paucis persoluam ne, multitudine verborum te tędio afficiam. Nam cum sapor dulcis naturæ humanæ magis amicari videatur, propter quod Princeps: Stomachus bene dispositus non eligit saporem supra dulcem, existimo dulce cæteris cum conditionibus eligibilius esse. Quòd si obĳciatur terrestrius esse, sicq́ à spirituali natura elongatum magis: Fateor, sed ad conueniẽtem spiritum reduci in virtute ignis dicendum. Eritq́ aqua mitior, & nostrę naturæ amicabilior. Nam in ea moderatio quàmplurimum celebranda est.
Quibus omnibus inducatur Cretense vinum de Tyro, Maluaticum, Ribolea Grȩcum, Vernatinum, de quo post Romanitium vniuersaliterq́ omne tale cõditionibus vt de operibus actum est, associatum, in aqua ardentis factionem quàmoptimè valere. Quibus facilè cõprehendi potest vt cur ignominia aquę ardenti ascripta est, cum sic in sibi attributos effectus non perueniat, materiæ quidem improperandum est magis, atque etiam magis vrbium censores

culpandi ciuium ſuorum ſalubritatem negligentes proprio immerſi negotio, qui in tanta diuinaq́ re diligentiam nõ adhibent audientes publicé enuntiatũ, ex vinis putridis aquoſis ab operatoribus ipſam confici. Arbitror ex Vernatino Ianuenſi, cui magna ſpiritus copia non deeſt, ardentem aquam præſtantiſſimam fieri poſſe. Ex vinis quoq́ Gropelis quorum ętas primum non tranſcẽderit annum: exq́ Vultrinaceis, quæ annoſitate indecentiora fieri videntur.

Et eius dignitatem ampliſsimam aperiemus cum de ea compoſita à nobis ſermo erit. Quo in loco potentia, dignitas ardentis aquæ, cæteraq́ experimento probata de ea dicentur.

De Quantitate extrahenda. Cap. IIII.

ET cum ſatis de materia actum eſſe putem, & poſtea agendum eſt quanta ex materia quantitas extrahi debet. Impleto itaq́ aduſque medium vaſe ipſo, de tribus partibus, altera extrahi habet. Hicque conſiderandum

dum eſt, quid de duabus alijs agendum ſit: propterea aduertatur quòd nonnulli partem illius primæ venientis aquæ eamq́; inutilem, vaporoſam & aqueam ſpernunt. Quorum error ex dicendis apparebit, & tertiam ex intromiſſo recipiunt, quam tertiam denuo & ſecundò in vaſe ad diſtillandum ponunt, & primam ſic recõdunt, ex eaq́;, vt prius, tertia pars extrahitur: ſimiliq́; modo tertiò operantur loco. Quòd ſi ad quartã ſublimationem peruẽtum ſit, nihil quaſi ex ipſa minuitur materia. Hæc itaque ardentis aquæ multiplex operatio eſſe debet. Tu itaq́; conſidera quæ qualiſq́; ſit aqua ardens miſerulis perſonis in plateis vendita. Aiunt & plures vulgaribus operatoribus doctiores, ardentem aquam perfectam eſſe, quando ex decẽ vna extrahitur menſura: hocq́; prima ſui in operatione. Nam cum ardentis aquæ notitia me plurimum delectet, & alios doctiores ſemper reddere mihi cura ſit, aliquos etiam gratos modos de quantitate extrahenda deſcribam. Primum itaque ſtatuendum eſt, quòd ſi ex

vino multum potenti conficiatur, quintam eius quod in vase locatum fuerit ea ex operatione, exire comperietur. Ideó que vini potentia ac debilitas consideretur. Quòd si secundò distillata fuerit, medietas eius, quod per prius distillatū fuit in vase sic reconditum, egredietur. sicq; ad tertiam perueneris operationē, ex quinq; partib. quatuor remanebūt. Et si ad quartam transibimus, nil aut nil quasi diminutum ab ea quod in tertia reconditum fuerit, inuenietur. Nonnulli verò medietatem reconditi prima extrahunt in operatione. In secunda septem, de partibus decem. Tertiò verò cum operatur de septem, quinq; partes colligunt, & communi nomine eam aquam perfectam nominant, quæ ex tertia prouenit distillatione. Verùm perfectiorem scribunt, cum septem vicibus distillata erit, decimam semper tantummodo colligendo, perfectissimm verò cum ad vices decem sic distillando peruentum fuerit. Ex hac Essentiam quintam fieri aiunt, de qua actum est in initio: hi enim sunt viri qui sic circulando

Essen-

Eſſentiam quintam venantur. Inoleuit tamen communis operatorum vſus vt trina diſtillatione contētus ſit, aut quia ita laborioſo negotio faſtidiatur, aut quoniam lucro magis intentus ſit. Ego quidem cum ardētis aquæ effectus maturè ſum contemplatus, quosdam ad vitæ noſtræ prolongationem conſeruationemq́ plurimum accedere, nonnullos ad ægritudines remouēdas potēter valere, fuerimq́ ſic in diſtillationibus obuerſatus: id planè ſentiebam in his varijs complendis, varios extrahendi modos obſeruare oportere, perpaucio res ita circulationes eam duci, quæ ad vitæ commoditatem acceſſura erat, vt de vino potenti vt Maluatico ſecunda ſufficeret circulatio, ſi prima in diſtillatione medietas egredietur, eiuſq́ ſecundò pars tertia. Verùm in remouendis ægritudinibus ad tertiam pertranſeundum eſt, & de tertia tertiam colligēdo. Studium nanq́ duxi eſſe in conſeruationem ſuæ humiditatis, qua ſpiritibus ſit proximior, quam quidem tot ex diſtillationib. deperdit, & guſtui ſuauior,

in caliditate remißior, sicq́ naturæ fit amicabilior, poteritq́ sic dosis augeri & efficacior fiet, cum potentia rei penes multitudinem formę attēdi habeat. His itaq́ planè haberi potest quantam vim vna altera maiorem habeat: & quæ in plateis lucri causa venditur veniens in distillatione. Et quæ colenda quæúe negligenda sit intellige. Quòd si alchimia hæc, quempiam delectauerit, principia habet, quibus hac in arte doctior fieri poterit. Volo autem vt hæc de quãtitate extrahenda inpræsentiarum nobis sufficiant.

De Vasis & eorum materia. Cap. V.

DAmnauimus vitem plumbeam, cum qualitate aut manifesta, aut occulta, ardentem aquam lædere arbitretur. Neq́ minerale aliud insalubrem eius factionem præter aurum aut vitrum accedere posse existimatur: horum autem vnumquodq́ suæ complexioni commoditatem afferre sentitur, cum aurum æquale sit animæ humanæ ac corpori plurimas ac gloriosas affe-

rens

rens vtilitates. Vitrum verò in complexione calidum est & siccum, quo sibi simili congaudet, neq; ad corpus humanum paucas proprietates habet: argentum autem hîc omittimus cum frigidæ complexionis existat: sicq; & terreum vas, quod inutile dicimus. Vasa autem aurea magistratibus omittamus, quorum compositionem ex dicẽdis vitreis facilè intelliges. Eligantur itaq; vasa vitrea, quæ vt ignem potenter sustineant grossa notabiliter esse debent, ex vitro albo, quoniam eligibilius est viridi aut citrino: sitq; in fornace diu coctum cũ ex diuturnitate decoctionis & claritatem & densitatem præstantiorem consequatur. Et citrinum viridi eligibilius, quæ grossities permaximè in bocia intelligatur. Capellum autem amplum sit & decenter grossum. Ad multiplicationem autem aquæ eius amplitudo conferre videtur, quoniam plurimi in quantitate vapores sic ad eum venientes frigiditate peciarum, vt actum, coadiuuãte, in aquam ipsam conuertuntur. Collum autem bocię quàm plures longum

facere ingeniati sunt sic opinantes, vt vnica ex distillatione perfecta aqua haberi posſit, & longius breuiori decentius esse. Quamobrem socius noster bociam in plano domus situabat, & capellum in solario. Ego quidem arbitror multiplicatam distillationem magis cōferre: & sic eam quintæ Essentiæ appropinquare magis, cum ex multiplicatione distillationis sic continuè subtilietur magis & naturam elementarem magis deserat, sitq́ꝫ sua in complexione mitior cum rarior inde reddatur. Vituperāda admodum est, quæ plateis venditur plumbea atque plumbeo capello confecta.

De Igne faciendo. Cap. VI.

BOnis autem & ex electis lignis ignem fieri congruit ne spiritus vini à lignis ipsis aliqualem suscipiat alterationem. Itaqꝫ non vallosa, non putrida, aut corrupta sint, non humida, nō vmbrosa, sed radijs solaribus exiccata: sic sicca, vt minor quàm posſibile, sit inde fumus egrediatur. Ea nanqꝫ eligamus

mus odore suaui à natura dignificata, vt iuniperina, cupressina, laurina & huiuscemodi, cum potiundi facultas dabitur. Laudamus & salicina sicca, sicco loco nata, quorum suauiorem facimus ignem atque meliorem. Quercina autem sicca non aspernãda sunt. Verùm cum densiori sint substantia ignem accendunt fortiorem. Carbonum verò ignẽ nõ commendo cum à fumo pernitioso non absoluatur, quo nunc epilepsiam, scotomiam, vertiginem, quandoque apoplexiam generet, faciatque mirum in modum spiritus animales syluestres esse. sit autem suauis, clarus, non fumo associatus, vt actum. Sunt nonnulli ex fimo equo putrido & viua calce commista cum aspersione aquæ in fouea sic ignẽ facientes. Cæterique cum candelis, quæ certè cæteris meliores existunt, qui lignis in eius factione non operantur. In huius autem factione diuersi, diuersos modos habent, quibus de cognitione artis parua est notitia.

Qui verò de conficiendo vitro agnitionem perfectam habent, eodem igne

operentur. Sicq; in cęteris alchimiæ effectibus esse debere putabis. Neq; tanta diuersitas surrexit, nisi quòd magna ignorantia abundauit. Sed ad reliqua me conuerto.

De Signis demonstratiuis perfectionis & complementi eius. Cap. VII.

CVm autem sic nostra operatio cō summata erit, consequens est vt aliquo cum signo eius complementum perfectionemq; declaremus. Duo equidem signa de bonitate, ac eius complemēto colligantur. Primum enim est cum lineus pannus siue charta in ea infusus à flamma ignis illi appropinquata succenditur. Quæ si secundò ei approximabitur, comburet, quia aquam euanuisse demonstrabitur. Hanc completam perfectamq; esse dicimus. Siq; sic approximata flammæ tantummodo succendetur, non comburetur, incompletam imperfectámque teneamus. Alterum quoniam super linguam posita si fortis erit vt ignis aut acuta flāma non lædens, iudicatur citò transiens debilis

debilis verò non lædet. Tertium quidem suis ex effectibus, de quibus statim egredietur, cuius experientia nos doctiores reddet. Quartum cum oleũ supernatauerit de quo post. Quintum cum in fundo cyathi posita fuerit, eiusq; fundum sic accensa siccum relinquit: & super volam posita & accensa sine læsione euanescit, vt bombardarum puluis. Et quidam eam significantes magis cum optima fuerit, aiunt superimposita tabulæ, & accensa tabulam comburit. Verùm nõ est sententia hæc colẽda, quoniã quanto dignior & Essẽtię quintę propinquior, tanto ab elemẽtari potẽtia remotior & subtiliata magis atq; rarior facta, minus imprimit.

De Proprietatibus simplicis ardentis aquæ.

Cap. VIII.

DIgnificatam quidem apud mortales, magna etiam cum laude ardẽtem aquam inuenio, cum suis in effectibus veluti diuina in dies videatur. Carnes quidem citò corruptibiles cæteraq; talia in ea locata à putrefactione omnino defendit. Et cadauer ex ea

linitum à putrefactione præseruat, quã nonnulli secundum balsamum nominarunt. Et curiosi quidam sic fructus putrescibiles in ea adusque inusitatum tempus illæsos conseruant, quibus non idẽ remanet sapor. corruptam rem reparat, putrefactionemque ex ea tollit, & illęsam reseruat. Nam ex ea corruptum vinum reparatur, si in cado Ferrariensi duæ infundantur vnciæ, quo fit vt ad suum saporem & colorem redeat: cuius rei cognitione nonnulli ditati sunt. Nam ardentia, corrupta vina preciosaque huius beneficio per eos cõciliata fuerunt. Mustum & vina turbida iniecta calida potenter clarificat, venenum destruit, & contra elemẽtarem aquæ naturam subcenditur: oleoque, vt actum, super eminet, dum eo commiscetur: ouumque in ea infusum coagulat, & carnes decoquit, præcipuè quæ potens est, & quod admiratione dignum est, rerum saporẽ in ea infusarum tribus in horis aut quatuor ad se extrahit, præter sacchari dulcedinem, quod in ea non dissoluitur. Nam si in ea caryophyllus eo pro tempore

pore infusus steterit, si deinde aquam gustabis, te caryophyllum sentire iudicabis: sic caryophyllũ lignũ esse dices. Quæ res in viola cæterisq; floribus pluribus non inuenitur, dubium Philosophis relinquendum. Aiunt & venenum exterminare, quæ res in venenis frigidis vt opium, iusquiamus, mandragora & eiusmodi audienda est, cum cor sic læsum viuificet, & suis in qualitatibus his rectè exponatur: habetq; non paucas proprietates alias, quibus in salubritatem humani corporis quàm maximè accedere videtur. De quibus à me quodam certo cum ordine agendum erit.

De Iuuamentis & bonitate simplicis ardentis aquæ. Cap. IX.

BOnitatem & iuuamenta ardentis aquæ narraturus, ea certis cum aureolis tibi aperire constitui, vt sic quæ tibi grata sunt facilius memoriæ commendentur. Ordo quidem ad memoriam quàm maximè facit. Dicamus itaque principem sequentes. Aqua

ardens, vini ſpiritus eſt & anima, vt acetum.

Electio.

Eligatur ex vino nigro dulci, non veteri, claro & huiuſmodi, de quibus acetum, in vaſe aureo & vitreo confecta, præcipuè cum vitæ conſeruationem, aut prolongationem quærimus, ſecus cum in expellendis ægritutinibus ea vti volumus. Nam potentiora vina eo pro tempore conuenientiora.

Natura.

Calida & ſicca, non tamen ab humiditate aerea & cæleſti abſoluta, cum caloris naturalis per ſe ac per accidens ſit confortatiua: complexio quidem accidentalis eius quia elementaris, cæleſtem in denominatione vincit, quæ cũ ſic calida ſit & humida, ſicca imò calida denominatur. Et cęleſtis caliditas & humiditas, vt arbitrãtur, primum gradum non multum excedere videtur: & ex vino potenti veteri & huius ſecundum accidentalem complexionem ad quartum peruenit gradum, cum naturam ignis ſapere videatur; quoniam ſi tanta

caliditas

caliditas in substantia densa creata foret, non minus pipere calefaceret. Verùm & si tantæ sit intentionis, non tamen tantæ potentiæ existit. Nam tolerabilis est eius læsio, & citò transiens, quæ ex elementari prouenit cælesti remanente, de quo in fine capituli. Hæc autem suis in qualitatibus moderatur vini potentia aut debilitate, & artificio & vini nouitate. Quibus inducatur cũ ad tantum gradũ perueniat, eius dosim à dosi magnarum medicinarũ non multum eleuari debere. Detestandus itaq; erit ad vncias tres immoderatus vsus. Nam vidi virum qui ex ea vncias quatuor sine læsione sumebat. Id tamen arbitror dosim sic designari posse à drachma vna ad summum vsque ad vnciam: mediumq; variare opus est corporum varietate petente. Acceditq; ad eius augendam dosim, aut minuendam aer, regio, ætas, tempus anni, & similia. Neq; hoc loco præteribo Siminianum tuum à vaginis nuncupatum, qui eodem in die plures ad vsq; vncias duas & dimidiam & quandoq; ad vncias tres de ea

assumit, qui sic iã multis annis vsus est: ex vsuq́; tali se continuò sanum superuixisse prędicat: neq; altera vsus est medicina, vt arbitretur iam triginta annis, eius beneficio vitam sibi productam fuisse.

Operationes.

Est calefactiua, exiccatiua, maiorq́; est sua siccitate calefactio, ac humiditate siccitas, de quo post. Qua ex re in ægritudinibus calidis magnum non videtur afferre iuuamentum. Magis autem in ægritudinibus frigidis phlegmaticisq́; permaximè mirum in modum conferre experimur. Est subtiliatiua, resolutiua, ventositatum carminatiua, oppilationum aperitiua. Quamobrem exercitio carentes vt presbyteri, religiosi, & quibus literarum est studium, curiales cæteriq́; tales, quorum virtutes non confortantur naturales: & superfluitates multiplicatæ non resoluuntur, ea inter cæteros mortales vti habent, illámque cum magna veneratione colere. Estq́; caloris naturalis conseruatiua naturali sua caliditate & humiditate, spi-

rituum

rituum augmentatiua viuificatiuáque, quas ob res in prolongationem vitę mirificè accedit.

Decoratio.

Vſus eius quotidianus ad drachmā vnam cum vncijs tribus vini electi odoriferi, vt aiunt, canos ſuo in aduentu retardat, iuuentutem ſic conſeruat, tineā capitis vlcera, ſcabiemq́ omnem tollit, ſi manè & ſero lauetur ex ea, præcipuè ſi cum ſandaracha gummata fuerit. Lentigines cum ſanguine veſpertilionis linita delet: & cum tartaro & ſucco fumiterræ faciei puſtulas.

Caput.

Sodam antiquam aufert, cum de materia frigida ſit, caputpurgio ex ea facto. Epilepticis opitulatur, & apoplecticis ſuccurrit, ſi potatur præſertim in aqua: in qua diamuſcus fuerit infuſus, ſiq́ ex ea lauetur caput, ſi odoratur, ſi caputpurgium ex ea fiat. Et indies occipitio loto aut ex ea madefacto, memoriam auget ac conſeruat: hiſq́ præcipuè quibus locus ille humiditate ſuperflua læditur, Catarrhum frigidum & hu

midum vſus lotonis eius exterminat, & cum pecijs in ea infuſis torturæ paralyſiq́ iuuamentum affert. Fortaſsis obijcietur cum tremor, parua ſit ac diminuta paralyſis ſitq́ tremoris factiua, vt aiunt, & quomodo paralyſi ſic conferre videbitur? Exiſtimandum quidem id contingere, dum intra aſſumitur. Opinantur autem nonnulli vſum eius tremorem adgenerare. Nam cum nimium ſubtilis ſit ſubſtantiæ penetratiuaq́ nimis atq́ non minus vaporatiua, accidit eam ſic actuatam, cerebrum originesq́ neruorum penetrare. Qua ex re cum ex ſtomacho vapores phlegmaticos pluri mos ſecum conducat, ſicq́ eos in origi nes neruorum penetrare facit: quare ex eis ſic leuis opitulatio fit tremoris cauſa tiua. Dubium autem hoc cum ampliori perſcrutatione egeat, quo multi vexan tur, in poſtremis aperietur. Confert & & ſpaſmo humido, ſquamoſumq́ caput liberat, cũ ex ea sãguine leporis mi ſtarorat & odore ſuo, frigido ſuccurrit cerebro: paſſionib. eius frigidis ac humi dis magiſtraliter applicata ſuccurrit.

Aures

Aures.

Contra ſurditatem ſuis cum canonibus iniecta, tinnitum tollit ac ſibilum.

Naſus.

Coryſam fugat ac humiditates per nares venientes exiccat, & oppilationem in eis factam aufert.

Os.

Paralyſi linguæ ſubuenit. Pecia in ea infuſa, linguæq; ſuperpoſita, dolori dentium ex cauſa frigida ſuccurrit, eorum corruptionem tollit: Gingiuas corruptas & putridas emendat: Læſis labijs ex ventoſitate aut ex frigidate ſubuenit.

Oculi.

Contra oculorũ ægritudines frigidas exterius linita, bibitã aut impoſita, viſum conſeruat, eoq; præcipue cum eius debilitas ſtomachi vitio venerit exterius linita, aut intus bis in die poſita, lachrymas mirabiliter compeſcit ac exiccat. Quòd id fiat, aqua roſacea aut antimonio moderata, laudabilius cenſeo, non fueritq; lachryma calida, neque in principio currens, neq; p interiora vaſa

veniens. Quamobrem peritos ſemper in arte conſulas & ſic adminiſtrata oculorum caliginem annullat, corrodit vngulam: viſum ex cauſa frigida debilitatum fortificat.

Pectus.

Vocem ex cauſa frigida deperditam reſtaurat, anhelitum, vt actum, vſa, fœtidum remouet: id cum præcipuè ſtomachi vitio venerit. Aſthmati ex cauſa frigida ac ventoſa ſuccurrit, cũ decoctione caricarum aut liquiritiæ potata. Peripneumoniæ, tremori cordis ex ventoſitate & cauſa frigida ſubuenit. Adde quòd nihil melius ea eſt in vlceribus & humoroſis exituris mamillarum deſiccandis, & extenditur ad maligniora virtus ſua, vt dicetur in peſte. Et aſſeruerũt quidam quòd eius vſus cum theriaca omni die, cor ab aere epidimico defendit. Neq; remediũ hoc deteſtor ſuis in temporibus moderatũ, de quo poſt, pulmonis humiditates ſuperfluas exiccat reſoluitq;.

Stomachus.

Frigido ſtomacho & phlegmatico

& humido, pauca cum caliditate coniũ cto, mirũ in modum intus & extra subuenit. Quæ res, vt actũ, de Marchione Mantuano moderanda est: cuius vsus quotidianus fuerat: quantitatemq́; variare oportet, virtutis ac temporum locorumq́; varietate: nã in tẽportibus frigidis securior erit eius vsus maiórque quantitas sumi poterit. Eius ventositates ac dolores ventosos dissoluit, ac cõtinuò cessare facit. Et cũ in resoluendas stomachi ventositates ac dolorẽ ventosũ Mãtuanus Marchio plurima medicamenta tentasset, nullum aquæ ardenti par esse dicebat: cuius rei testis sum ego. Oppilationi splenis ac hepatis succurrit. Hydropisi ex causa frigida cõuenit, quo in casu præsumunt quidam omni die dari ad quantitatem medię testæ oui. Et renibus calida supperposita eorum dolorem aufert, & in dolore ventoso mirabiliter operatur. Ventositates intestinorum dissoluit, sicq́; dolori colico atq; iliaco ventosis subuenit, aut per os, aut per inferius sumpta aut exterius cum panno aut filtro superposita.

Membra expulsionis.

Sterilitatem ex causa frigida aufert potata & pessarizata & frigidis natura subuenit ad masculandum.

Iuncturæ.

Athriticæ podagrę, ischiaticę ex frigida causa præcipuè factis in declinatione suis cum canonibus administrata, & ex frequenti applicatione peciarum in ea infusarum calidarum ischiaticæ loco appositarum vidi Foroliuij quendam liberari. Hęc est etiam elegans medicina dolori ex neruo aliquo semi inciso, & spasmo familiariter medetur si bene cũ alijs medicinis conducatur.

Vulnera & vlcera.

Fistulis cum instrumento iniecta ac noli me tangere, subuenit.

Febres.

In quartana præcipuè phlegmatica per horas duas ante accessionẽ exhibita cũ his quę melancholiam respiciunt, vt buglossæ flores aut boraginis, mirũ in modũ subuenit ac proximũ abbreuiat: sicq; alijs febribus ex causa frigida venientibus.

Venena

Venena.

Venenum expellit theriaca associata. ipsa enim continuò medicamen ad cor conducit, vermes interficit, etiam si exterius corpus liniatur, neque venenosum animal, vt aiunt, ei approximare ausum est: Valetque, vt actum, pestis tempore, & super glandulam posita, quũ virtute confortatiua ac venenosi humoris ad se attractiua non careat. Hæc autem omnia, vt non nisi cum ratione administrentur, & canonibus suis munita esse debent. Quod vt tibi magis, hos addam non postergandos canones, de quibus statim.

Canones.

Primus, quòd quæ de ardenti aqua scripta sunt, intelligi debent in ægritudinibus, præcipuè frigidis, quæ sic conferre visa sunt. Aqua enim quam Essentiam quintã notã nominauimus, in omnibus indifferẽter valet: & de hac nõ est sermo noster. Potest autẽ & hęc ardens dari, si cum ea frigida opportuna cõmiscentur. Secundus, quòd effectus eius

in morbi causa illaq; plurima existente, nisi prius congruæ præcedant euacuationes, rationalis medicus tentare non debet, ne omisso sic vniuersali, particulares eius gloriosi effectus à vulgo indignè damnentur: Sicq; pauca fuerit materia, cuius ab ea resolutio speratur, aut mala, aut simplex fuerit complexio, sic eius vires continuò tentandæ erunt.

Tertius, quòd ipsius operatio paruo perficitur spacio, vt arbitretur non nisi ad horam virtutem habere, præcipuè cum membris applicatur exterioribus, ob quod cum ab ea fortis ac longa quæritur actio, necessaria est frequentata iteratio, aut eius cũ alio forti & dẽso commistio, vt de composita agetur. Composita enim actio lõgiori tempore perdurat, vt gummata maiori non gummata, vt in applicatione eius cum gummi in cura ischiadis sentimus. Quartus quòd impræmeditatè pura dari non debet, pueris permaximè, ac iuuenibus: sed cum ea vinum aquaq; aut alia commiscenda sunt, medicorum consilio. Senibus verò securius exhibetur, his præ-
cipuè

cipuè qui ſtomachum frigidum & humidum poſsident. Neq; quotidianus vſus in omnibus laudandus, verùm quibuſdam de tertio in tertium, peritorum conſilio. Quintus quòd cum mitior ſpiritibus, ſit feruenti conformior, dum vitæ prolongatio quæritur, doſis augenda erit: ſicq; fiet varius vſus dum ſanitas quæritur, dumq; expelli ægritudo tentatur. Et vt planius atq; firmius capiantur quæ de ea ſimplici ſic dicta ſunt, ac de compoſita dicentur, non inutile facio hoc in loco vini dignitates potentiasq; in medium ducere. Nam cum reſeratæ certa cum ratione fuerint, non hæſito quin credulitas fidesq; dicendis amplior detur, in quibus aquæ ardentis excellentia maxima cum veneratione ſplendebit, cum vini ſpiritus ſit & anima pars ſuo corpore dignior: accedétque fortaſsis vt qui legens diuinam hãc aquam neglexerit irreuerenterq; aſpernatus fuerit, eam honore dignam prædicabit. Vini quidem caliditatem à cæleſti calore ſolari emanare minimè hæſitabitur, cum ab eo vuarum maturatio

omnino fieri comprehendimus. Quòd autem ab alio eductum est, eius à quo educitur naturam retinere non negandum, cum orta suis attestentur principijs in virtute et vitio suarũ operationũ. Itaq; vini calorem cęlestẽ diuinumq; esse non indignè Antiqui enuntiarũt. Calor quidẽ cælestis humano calori coniunctus, cum hominẽ generet, arbitrandum equidem est, & ipsum nutrire & vitã in longum ducere posse. Nã cuius potentia in maius est, in minus posse fatendum est. Quamobrem cum homo & Sol generent hominem, inquit Aristoteles, id cõcedendũ, vt calor vini calori naturali nostro, vt Princeps ait, maxima sit cum proprietate coniunctus: quo fit vt sit virtutis vitalis confortatiuus, cum à suo simili simile confortetur, ipsiusq; multiplicatiuus nec non restauratiuus. Ex eodem autem generamur & nutrimur, inquit Aristoteles. Et quis ita insanę mentis erit, qui his non consentiatur? Experientia quidem in dies cõperimus vini virtute syncopizatos releuari. Quod planè Saraceni intelligentes sincopizatis

copizatis, vt à morte releuentur, contra legem vinum exhiberi nõ prohibẽt quinimo concedunt & offerũt. Et quis non nisi cæcus, qui de lumine iudicare voluerit, his contraire poterit? Nam in horas videmus cum fuerit quis in virtute nedum animali motiua, sed & vitali resolutus, in consuetas operationes minime potens, se fateri ex potu vini suauis ac gustu delectabilis sic potando restaurari fortificarique in eas operationes, in quas prius non poterat, potenter posse. Consueuerunt etenim potatores sic post potum enuntiare se dupli ci pretio valere. Nunquid Philosophorum sententia hęc est? Princeps inquit:

Vinum debiles efficit fortes, propterea quòd velociter præbet augmẽtum in substantia spiritus. Itaq; velociter, vt Auerroi non displicuerit, vinum non per tot digestiones transire, sed paruo in tempore in spiritum conuerti, naturæq; humanæ cum opus erit, mirabiliter succurrere, cum calorem cæleste hu mano proportionatum in se claudat: Albertus Musæus, Patauinus Poeta,

quem vini dignitas non latuit, ait:

Rebus in humanis ô nimis laudabile vinum,
Præcipuè assuetis, vitæ pars maxima nostræ.

Quamobrem cum naturæ humanæ ipso auro amicari conformariq; magis sentiatur, arbitrandum quidem est in vitæ prorogationem auro potabili plus posse conferre, quo nonnulli alchimizantes gloriantur. Vinum nanq; ad vitæ humanæ nutricationem, & elongationem à natura inuentum est, in corporum generationem quàmplurimum operans, quoniam, vt actum, ex eodem viuimus & generamur: estq; sic naturæ humanæ familiare magis. Aurum autẽ ad has corporis cõmoditates minimè principaliter inuentum est, ad eas accedere non videtur, & si in quibusdã corporis vtilitates accedat, à generatione & nutricatione remotas.

Qua de re pace sic alchimizantium dicam, In vitæ humanæ conseruationem prolongationemq; ardentem aquam ipso potabili auro præstantiorem. O ridendum cum addant suę dignitati ipsũ

sic

ſic in ſubſtantiam liquidam conuerſum ad formam propriam amplius reduci non poſſe, quam ſi retinebit, non hæſito ipſum reducibile eſſe: ſi non, aurum non erit. Hisq́; induco vt ex concluſis planè intelligamus ipſo auro potabili ardentem aquam in vitæ conſeruationem prolongationemq́; magis valere, cum moderatè aſſumpta fuerit, cum vini efficacior nobiliorq́; pars exiſtat. Vino nil eſt nutribilius. Nã Hippocrates: Facilius eſt potu quàm cibo repleri. Et dux medicorum Gal. Vinũ præ cæteris eſt nutribilius. Plerisq́; in locis vitellis ouorum & pullorum iuri comparãs, ipſum nutribilius facit, cum magis penetratiuum extet, cum ſpiritibus proportionatum magis. Nec nos experientia fallit, cum potatores minus comedentes impinguari magis videamus, comeſtores potantibus minus. Vinum quoque virtutes ſic omnes & ſpiritus reſtaurat. Spiritus autem præ cæteris nutribilius vino citius reſtauratur. Quare vt Almanſor ait, alacritatem, gaudium, iocunditatẽq́; inducit & Auerrois, à tota ſpe-

cie melancholiæ aduerſatur, cum calidum ſit & humidum, gaudium inducẽs & melancholia ſpiritus à conſueto naturali ſylueſtres facit. Videmus bibulos in dies ex potu vini iocundos fieri, & quãdoq; Salomonis tunc ſimias appellemus. Neq; eius innumerabiles dignitates hoc in loco proſequendum eſſe arbitror. Sat nobis eſſe debet, quòd in hominum generationem, vitæ eius prolongationem, ſpirituum multiplicationem, reſtaurationem, quibus vita conſeruatur prolongaturq́;, inuentũ ſit. Princeps: Vinum ſemper habet per eius Eſſentiam ad ſpiritum cõuerti, quę omnia & experientia cõprehendimus. Vino vtentes carnoſiores eſſe, & rubicundiores, generatiuos magis, in coitu potentiores. Quamobrem vt ſuam ſeruarent pudicitiam de cultu fœmineo Romani magis ſolicitantes, fœminis vini potum prohibuerunt.

Equidem eo vtentes animoſiores, robuſtiores, animoq́; iocundiores reddũtur, quæ omnia accipienda ſunt, cum fuerit eius moderatus vſus, Propter

quod

quod Ecclesiastes: Exultatio animæ & cordis. Et moderatè potatum, sanitas est animę et corporis, estq́; sic humores temperatos faciens. Si itaq; sic esse concedimus, quod minimè negari potest, quid de ardenti aqua dicemus, quæ vini pars est spirituosa nobilior atq; potẽtior? nunquid in eos effectus illã posse negãdum est, cũ orta in virtute suis attestent principijs? Nunquid nõ maximè colẽda est? Nũquid nõ amplexãda est? O bone Deus, quantũ in spirituum augmentũ, inq; restauratione subitã accedat ex datis facilè colligimus, testante medicorũduce. Omniũ subito & velociter nutrientiũ est vinũ. Spiritus enim animę prima sunt instrumẽta, vt corpus viuat, nutriat, vitaq; in longũ deducat. Cur itaq; cũ aqua ardẽs sic in spiritus subito trãseat, & ex ea nutriãtur, eã ad vitę conseruationem, prolongationemq́; accedere, insolẽter negabitur? Eadẽ enim similitudo videtur aquę ardẽtis ad distillatam aquam, quæ carnis ad vinum. Cur itaq; aquam ardentẽ non laudabimus in spirituum restaurationem,

vt illam posse, cũ sit vini pars nobilior ? quod omnium, vt actum est, nutribilissimum, citoq; ac subitò nutriens, sicq; loco, corpori, tẽporeq;, vt decebit, administrata fuerit. Fortassis, inquiet, ab igne caliditatem elemẽtarem suscipere, fatendum. Ea propter suo est moderanda loco, cũ aut cholerico aut phlegmatico exhibebitur, non tamen plurimum ignitur, vt in confectione, quæ ex alijs rebus sic distillando fit, est videre. Non enim aqua rosarum ignitur, non fœniculi, non aqua carnis, vt sic ex hoc blasphemetur. Arbitrandum quidem est varietatem suscipere cùm in conficiendo, tum in administrando. Nam quæ candela conficitur, mitem ac meliorem facio, prætereo solarem: sicq; de cæteris dicatur modis. & secundum ætatum diuersitatem locorum ac temporum varianda erit: neq; ab igne corruptionem aut imperfectã alterationem suscipit in distillatione: si fortẽ caliditatẽ, moderãda erit. Quibus omnib. planè satis reserata est auctoritate huius diuinæ aquæ dignitas, ac mirãda potestas auro prẽstã-

tior,

tior quę ſic neglecta per manus laicorũ lõgis iam annis, oberrauit. Quam cum maturius intelligere volueris, illuſtriſsime Princeps, non hæſito eius virtutes te ita allicere, vt ad eam colendam ſumendamq́ maxima cum dignitate accedas. Quare ſophiſticis rationibus aures non ſunt pręſtandæ, quibus nonnulli deteſtari conati ſunt. Sileant itaque qui eius dignitates non nouerunt, omnium rerum diſtillationes non niſi voluntariè ſpernentes. Hæc autem omnia oculis tuæ dignitatis anteponere concepi, cui neq́ prudentia neq́ literarum copia defuit, vt ſic ſpectanda videres iudicaresq́: deinde ſi ex principijs Alchimiæ Hermetis Philoſophi, Petri Hiſpani, Arnoldi de Villanoua, cuius & adhuc tanta extat in opere medicinæ experientia, vt alterum Apollinem medici prædicent: ſi Raimundi viri quippe diuini, ſi inſignis medicinę ſplendor Thadæi medici, ſicq́ plurimorum philoſophantium authoritas ita ieiunè ſpernenda eſt: ſicq́ eorum ſententia, qui omnes in hanc conuenerunt: Aquam

ardentem moderatè ſumptam, in vitæ conſeruationem prolongationémque quàmplurimum poſſe: eſſeq́ aliorum effectuum, de quibus actum, producti- uam, vt canitiem retardare, quæ ſuper- flua ſit humiditate, an in cõtrarium ver ſa ſententia magis colenda ſit?
Spero equidem & in futurum eam tua ex dignitate maiorem gloriam conſe- qui, cum tuæ producendæ vitæ cauſa e- rit. Fortaſsis hæſitabitur ſi humidę com plexionis dicẽda ſit, an ſiccæ cum à ple riſq́ vinum humidæ complexionis in- ſcribatur: neq́ perſcrutatio hæc facilis habeatur, cum maxima ſit in hoc ſapien tum diſcordia. Nam Cõciliator noſter cum plurimas rationes non paucáſque authoritates aduerſantes reuoluiſſet, ip ſum humidum pronunciandum eſſe af- firmauit, præcipuè ſi annum non exceſ ſerit, de quo ſupra. Qua ex re, cum aqua hæc vini nobilior pars ſit, ortáque ſuis principijs atteſtari videantur parte in principali præcipuè, ſic humidam eſſe putandum, quam rem experientia con firmare uidetur, Nam cum in fundo cya
thi co-

thi cochleare vnum ardentis aquæ inie
ctum fuerit & postea accensa, eius qui-
dem flamma per octauum horæ dura-
bit, quod equidem absque humiditate
grandi esse non potest. In qua sic flam-
ma pabulatur, quinimò grossitie qua-
dam & viscositate participare videtur:
sic itaq; humidam esse relinquitur. Ve-
rùm quòd sicca sit pronũcianda magis
iam scriptum sit. Quam rem confirma-
re videntur authoritates in contrarium
quibus vinum calidum esse & siccum
enuntiatur. Et experientia affirmat
cum vrens & caustica sit, quæ calidi &
sicci sunt operationes. Nam in fundo
cyathi combusta iam vitrum calidum
reddit, veluti ignitum ferrum ferueat &
tangentem vrat. Res itaq; sic in contro
uersia posita est. plurimi alchimizantes
eam humidam esse dixerunt, non distin
guentes humiditatem actualem à po-
tentiali, cum Philosophiæ dogmata ne
scierint. Cæteri siccam.

Ego quidem pace aliorum id arbitror
vt pronuncianda sicca sit, & vt actum,
ab humiditate non absoluta. Nam pri-

ma in diſtillatione cum per actionem ca i di partes uini ſequeſtrentur, id opinandum ſubtiliores igneas prius aſcendere debere, conſequenter aereas, quæ ſic permiſtim etiam aſcēdunt: quare ſiccitas cū humiditate coniungitur & ſi ſiccitas vincat, quibus eorum apparet error, qui primam aquā ſic neglexerunt cum ſecunda exiens aquea ſit, tertia terreſtris inutilisq́ue: Fortaſsis hęſitabi t cum aqua ardens ita calida pronuntietur, & quomodo ita ſpiritib. ac naturali calori amicabitur? Accipiendnm quidem eſt ipſam ex diuerſa fabricatione diuerſimodè ſua in caliditate variari. Nam quę ad Solem fit, ſi fieri poteſt, aut in uētre equi, aut cum flamma candelæ, mitioris eſt caliditatis ea quæ per vitem aut alijs iam dictis modis conficitur, & quæ ad flammam valde mitis erit. Hæc autē aqua & ſi prima i mpreſsione ſuis cum partibus igneis lædere videtur, poſtea tamen per actuationem calidi naturalis reſoluuntur, vt experientia docemur. Nā illa acuitas citò deſinit, quare mitior in caliditate facta ac ſiccitate ſua

cum

cum humiditate tali miti caliditati coniuncta, ſpiritibus ac calori humano ſic proportionata ac cõueniens redditur. Spiritus quidem humanus non, vt arbitratur, paruæ caliditatis exiſtit. Vnde dux medicorum Galenus in libello de Malitia complexionis diuerſæ: Si quis digitum in ſiniſtro cordis ventriculo impoſuerit, ſentiet maiorem caliditatẽ quæ ſit, vt exprimere voluerit magnam etiam in corpore humano caliditatem inueniri, in quo non rarò magnæ comprehendimus aduſtionis effectum. Nã in renibus caliditate potenti lapis generatur, quinimò & in veſica membro exiſtente ita frigido. Eſtq́; non poſtergandum, mitiorem in vitę prolongationem maioris eſſe adiumenti, feruentiorem verò in ægritudinibus tollendis, & validiorem.

Hæc autem quæ longo ac digeſto ſermone egerent, raptim nauigaui, ne tuæ Dominationi eius longitudine faſtidio ſim: & ad aliud cum pertineat negotiũ, ſic quaſi tacitus ire volui: ſatis eſt mihi rem aperuiſſe. Poſtremò hoc loco non

tacebo dignitates aquæ vitis, & si audiui, etiam cum authoritate perlegi: aurũ quidem potabile sic dignificatum hactenus nullo in codice cum authoritate reperi. Quæ autẽ dicta ac dicenda sunt, sic planiora fiant, accipiendum duas in ardenti aqua caliditatis actiones esse. Primam quidem elemẽtarem, qua exiccat & corpora calefacit, cuius dominiũ super alteram posuimus. Nam per eam calidam & siccam enunciauimus. Reliquam cælestem, viuificatiuam, à vino contractam, quam in eum sui in creatione Solaris virtus impressit, vt naturalis eius complexio ab elementari sic vincatur, vt in pulmone ab accidẽtali naturalis superatur, hacq́ natura calida redditur & humida, spirituũ generatiua. Aer quidem vt in spiritũ conuertatur, quàm vini anima magis distare videtur. Aerẽ verò, vt ait medicorũ dux, in spiritum natura conuertit. Et primi secũda Princeps. Cur itaq; proximiorem hanc in eum conuerti, huic diuinæ aquæ inuidus posse negabit, hasq́ caloris actiones inueniri posse scientificus an nega-
bit

bit, cum sensu comprehendatur in febriente has inueniri actiones?
Quarum vna febris est elementaris, cum febris calor sit, in igneum mutatus, vt Galenus: & caliditatis actio naturalis, qua corpus alitur. Et coniunctione sideris solis & caniculæ aer sic æstuans siccus factus, nunquid substantia humidus existimatur? Planè itaque asserendum esse arbitror, elementarem cælestemq́ue caliditatem ardentem aquã in se posside re, & amplexatam sic eam naturam diuidere: diuersisq́ue in operationibus eius vti, vt elementarem in superfluitatum consumptionem conuertat, cælestem verò in spiritus generationem. Quo fit vt sic potentior facta, vitam in longum deducat. Harum actionum diuisionem quis fortasse admirabitur? qui cum id legerit in re medicinali, minimè audiendus erit. legat equidem prius Principis scripta cum de curando hemitritæo sibi cura est, discretiuam virtutem commemorantis.

De Nocumentis simplicis ardentis aquæ. *Caput* X.

POst autem narrationem eius iuuamentorum, consequens duxi nocumenta prosequi. nam ex his quæ scripta sunt, planiora ac clariora nobis fient. Primum itaq; dicamus ægritudinibus calidis, sic non conferre acutis ac furiosis, maximè cum suis manifestis qualitatibus nocumenta præstet, & in has addat ægritudines: neq; qui calore stomachi muniti sunt ea vtantur: eámque deuitent cholerici pueri, & quibus innatus fortis calor est, aut resolubilis: propter quod debiles in calido præcipuè stomachi ad eam assumendam magna cum cautela accedant: iuuentusq́; plus senectute expauescat, & senes cholerici phlegmaticis eius in vsu se magis moderent, & frigidis natura: sicq; & sexu calidiores. Quamobrem mulieres viris audacius tutiusq; vti possunt.

Contempletur autem, vt actum: sexus, ætas, complexio, virtus, habitudo, tempus, consuetudo, ars, regio, aeris cõstitutio,

stitutio, membrorum corporis aptitudo, vt si cætera non negarent, aptitudo in excoriationem fortassis prohiberet. Sit itaq; in his curiosus qui alteri eius assumptionem laudabit. Et quis hoc facere poterit nō nisi in medicina peritus? In ęgritudinibus verò calidis, cum frigidis moderatam dare licebit, vt in hemitritæo piper. Et de his tantum dixisse volo, cum cætera quæ de nocumentis eius dici possunt, ex habitis aperta sint.

De Aqua ardenti composita & virtutibus eius. Cap. XI.

DE simplici sic expediti, ad eam prosequamur, quam compositā nominarunt, quoniam rerum aliarum coniunctione fit, quæ sic diuersificari habet, vt ex diuersis fit elemētis. Qua ex re cum propè infinita cum ea componi possunt, non est eius compositioni finis statuendus.

Sic itaq; pauca & experta authoritate & laude dignissima inscribam composita, quæ impræsentiarum nostro in-

seruient negotio, id primum prædicãs, quod membra omnia ad quæ peruenit indifferẽter calefacit ac exiccat: mẽbra frigida, humidaq; confortat.
Quod illustres viri intelligentes, simplicia quædam cum ea commiscuere, quæ eius virtutem ad diuersa membra ducerent, illamq; suis in effectibus sic sua cũ proprietate redderent fortiorem. Cũq; cerebrum læditur, in sui releuationem tutamenq; cerebrum respicientia commiscent, & alterantia quædam suæ dyscrasiæ remotiua, estq; in alijs simili cũ modo operandum. Poterit itaq; quisq; in arte peritus, vt alia & dispositio alia expostulabit, variam compositionem ordinare. Vt exempli gratia, dicamus cum abrotano & saxifragia, aut sola cũ betonica in renibus, vt in vesica lapidem frangit. Et cum succo fumiterrę & lapacij acuti, faciei pustulas tollit, & cũ saluia tremorem. Cumq; doctrina exẽplaris eaq; per præcepta efficacior sit, pluribusq; gratior, quasdam propterea descriptiones subiungam laude & experientia dignas, si prius commemora-
uero

uero, quæ in ea infusa erunt, ab omni sua virtute sic expoliatiua tales in se recipiens, quoniam, vt actum, sic suo odore saporeque priuantur, suaque potenti virtute illas mirabiliter in se trahit. Et si infusa minutantur, ab ea facilius sic expoliantur. Neque non nisi ab experto Physico has compositiones fieri posse putandum: compositio namque simplicium semper mihi perdifficillima visa est, & ad eas prosequens, hanc tibi primam facio contra mingendi impotentiam. Senilis passio est & si quandoque ætas alia illa grauiter molestetur renes, oppilatos aperit & lapidem in eis induratum cõminuit, extráque expellit: cuius descriptio hæc est.

Recipe radicum sparagi, brusci, fœniculi, petroselini, raphani, iringorum, milijsolis, seminum genistræ, endiuiæ, scariolæ, capillorum Veneris, ana. Hæc omnia prius contusa minutimque incisa in quantitate sufficienti ardentis aquæ bis distillatæ infundenda ponantur, in eaque sic horis octo resideant: & postea suaui cum igne, vt decet, distillẽtur. ma-

iorem autem vim ſic habere videtur: quam Thadeus medicus inſignis ſua & noſtra in ætate princeps ordinauit. Nã operam fortiorem ſic agere videtur, cũ lapidem in veſica induratum frangat. Eſt quidem fortius antidotum quod in veſica, quàm quod in renibus lapidem frangit & comminuit: tremori paralyſiq; mirum in modum ſubuenit, & dolorem colicum ex cauſa frigida venientẽ tollit: iuuentutemq; conſeruat, ac canos retardare facit. Hanc autem tot laudibus extollit, vt ſic laudando detrahere videatur. Eam nanq; in omni ægritudine colendam eſſe perſuadet, cuius in vſu honores maximasq; laudes ſe conſecutum eſſe ait, neq; minores vtilitates. Ob quam rem non omnibus communicandum eſſe conſulit. Cuius iudiciũ atq; conſilium non commendo, cum has dignas res ſepultas ſeruare grauamine conſcientiæ non vacet, ſicq; ſummo opifici, qui omnia gratis concedit iniuria quedam exhibeatur, voluitque medicum ea prudenter moderateq; vtentem ſic facilè ditari poſſe.

Recipe

Recipe caryophyllorum, nucis moschatæ, macis, zedoariæ, galangæ, piperis lõgi, pyrethri, corticum citri, sampsuci, saluiæ, ameos, spicęnardi, ligni aloes, cubebarum, cardamomi, cinnamomi, menthæ, lauendulæ, pulegij, costi, origani, calamẽthi, calami aromatici, stœchados, chamędreos, chamępiteos, ana pulverizẽtur, & optimo cum vino de quo actum, claretum fiat, & postea in distillatorio ponantur.

Prima itaq; quæ exibit, aqua clara ac perfecta erit, sicq; secunda: tertia verò negligatur, & huius aquæ vis tanta est, vt etiam exterius applicata in curandis ægritudinib. quàm potenter valeat. Additurq; moschus in peciola ligatus sic in ea continuè residens, cuius quantitas consilio medicorum moderanda est. Plurimi enim sunt, qui eius odorem nõ tolerant, nonnulli quos summè delectat: cochlear vnum ab eodem dosis inscribitur singulo die ieiuno stomacho. Consuluitq; in comminutionem lapidis in vesica, vt de quarto in quartum eius aliqua pars in vino, quod in mensa

bibitur, infundatur. Quæ res si mẽsibus sex adusq; octo seruabitur, aut anni tẽpore, omnem in vesica induratum lapidem franget, atq; comminuet. Quòd si dolcuratio delectabit, id ad voluntatis libitum fieri poterit, in ea infundendo liquiritiam, non saccharum quoniam ipsum in aqua vitis non dissoluitur, vt actum. Et vt diuinæ huic aquæ fides cum argumento amplior adhibeatur ab authorirate sumpta, referam quod & plurimi senserunt, Conciliatorem virum quippe diuinum codices suos farina Thadæi insignis panem confecisse, tanta fuit suarum literarum copia atque dignitas: quem quidem Thadæum vt alterum Aesculapium suis singularibus cum experimentis veteres & noui medici, magna cum veneratione colũt, cuius famosa opera extant, & in dies per scholas medicorum maxima etiam cum reputatione perambulant. Quis igitur non nisi inexpertus, aut mentis incompositæ, qui cæteris plura scisse sic detestando ostendere se putarit, hanc detestari, aut mortales non colere

dicere

dicere ausus erit? Cuius diuini viri doctrina & experientia simul semper incedunt. Hanc itaq; te colere, hancq; strictius amplexari, in vitæq; tuæ prorogationem ea vti persuadere non hæsito, quinimo consulo. Quod à me actũ non inaniter, non voluntariè, sed firma cum ratione esse puto. Sicq; calumniator eã sic omnibus communem esse damnabit: fatendum, si ætas, complexio, anni tempus, & huiusmodi, de quibus actũ, postergabuntur, sique vniuersalia præ oculis habenda, neglecta erũt, quę omnia operanti cognita Thadæus esse voluit. Qua ex re, vt sæpe peritos in arte consulendum est, qui his in omnibus cæterisq; moderationem seruare non ignorant. His tertiam & plurimum gratam & expertam adijciam cordis viuificatiuam, cerebrumq;, ac stomachum confortantem, oppilationem exterminatam, canitiem retardantem.

Recipe caryophyllorum, nucis moschatæ, macis, zedoariæ, galangæ, piperis lõgi, corticum, citri, saluiæ, sampsuci, ameos, spicæ nardi, ligni aloes, cubeba-

rum, amomi, cardamomi, lauendulæ, menthę, pulegij, origani, calamēti, stœchados vtriusq;, chamędreos, chamępyteos, ana. Terenda terantur, distillentúrque, vt actum.

Eadem operatio aquę, quæ nunc describetur, his mirum in modum subuenientis qui absq; causa tristantur, quibus & cordis tremor est molestus. Hæc quidē solitarios ad societatem conducit, & ad bonorum morum consuetudinem mortales excitat. O diuinam, ô colendam nimis: cuius hæc est confectio.

Recipe zedoariæ, doronici, corticū citri, macis, nucis moschatæ, ana, drachmas duas, coralorum rubeorum, charabę, limaturę eboris, ana, scrupulos duos been albi & rubei, caryophyllorum, zingiberis piperis longi, spicæ, folij, croci, heil, ana, drachmam vnam, trochiscorū diarhodon, ligni aloes, ana, drachmas quinq;, cinnamomi, galāgæ, zorumbet, ana, drachmas quindecim, foliorū auri & argenti minutorum & pistatorum, ana, aureum vnum, albarum margaritarū drachmas tres, fragmētorum sapphi

ri, hyacinthi, ſmaragdi, ana, drachmas quinq;, moſchi electi, ſcrupulos quinq; ambrę ſcrupulos duos, emblicorum vncias quinq;, roſarũ vnciam vnã, fiatq; inde aqua, vt actũ. Hæc quidem laude ſic digna, precioſitatéque ſua veneranda magnatibus fortaſſis tantummodo cõmodo eſſe videbitur. Ob quam rem aliam ſubiungo pauperibus ac diuitibus communem, & ſuis in effectibus parem aut prope parem.

Recipe foliorum roſarum, drachmas quindecim, liquiritiæ mundatæ, drachmas ſeptem, ligni aloes electi, ſandalorum rubeorũ, ana, drachmas tres, cinnamomi electi, drachmas quinq;, macis, caryophyllorum, ana, drachmas duas, quinq; gummi Arabici, draganti, ana, drachmas tres, ſcrupulos duos, nucis moſchatæ, cardomomi, galangæ, ana, drachmã vnam, ſpicæ, ſcrupulos duos, ambręſcrupulos duos, moſchi ſcrupulũ vnum, aquæ roſaceæ, vini, ana, fiat, vt actum. Hæc enim ſtomachi præcipuè defectionem tollit, ex omniq; mala cõplexione frigida & humida venientem

dispositionem remouet, nutritiuorũ instrumenta omnia confortat ac roborat sic excitat appetitũ, & cor lętum facit. Putrefactionem oris ac stomachi mirum in modum superat, cerebro cõfortando opitulatur, & conualescentibus conuenit, cum illis sua virtute subueniat. Et vt cõstantioris sit effectus, nõnulli ingeniati sunt cum ea gummi infundere, vt suo congruit negotio, nunc in ea gummi infundentes, nunc cum vino distillantes, vt dragantum, mastichem, & huiusmodi. Sicq; diuersificant amara & dulcia, & alterius saporis reliqua infundentes, & stomachi confortationem quærentes, in ea stomachalia infundunt, aut cum ea distillant, agentesq; proportionabiliter cæteris in mẽbris, vt suo pertinet negocio. Bene autem comprehendi potest, quàm facilis sit in ea compositionum multiplicatio. Ob quam rem sic impræsentiarum finem faciam, si hanc postremam his addidero, quæ tibi summè necessaria, neq; minori laude mihi digna visa est, cuius in quotidiano vsu à veneno, pesteque

diuina

diuina semper bonitate iuuante, sic prę
seruaberis, accedetq́ ad membrorum
tuorum omnium robur. Hanc quidem
magnificare velis, & auro præstantiorē
esse dicere non hæsitabis. Facilè enim
ex eius compositione comprehēdetur,
si ad cordis tutamen, si ad spirituum augmentum,
si denique ad aliorum membrorum
omniũ ampliorem commoditatem
sua cum virtute, aut occulta, aut
manifesta, ipso potabili auro plus accedet,
& iuuamēta maiora præstabit: quã
amare & venerari mortales quàm maximè
debent, hisq́ præsertim temporibus,
in quibus vniuersus populus sic peste
flagellatur. Ego quidem Deo meo
semper gratias, saltem quas possum, refero,
qui sua misericordia huius diuinæ
aquæ notitiam dedit, quam & colere &
vti in posterum concepi, neque ætas
mea hoc paruifacit.

Arbitrandum quidem est compositam
simplici potentiorem efficaciorémque
esse. Quòd si simplex à corruptione putrefactioneq́
corpora defendit, quid
de ea composita putandum est? Mi-

nimè itaq; dubitandum erit, hanc rebus ita cor tutantibus refertam in venenum inq; pestem potenter posse.
Experientia enim certa videmus, cor anima carens in ea simplici longis in dieb. à putrefactione præseruari. Quid ergo arbitrandum est, si cum eo anima coniuncta erit, vires omnes suas in cordis conseruationem extendens? Est itaque aqua hæc vt altera anima colenda, quę, quanquam gratis oblata sit, tamen hac tempestatè minimè refellenda est: eamq; Mithridato comparẽ facio. Cuius ex vsu Mithridates Rex, cum hostis manus veneno se fugere arbitraretur, venenare se non potuit. Est itaq;, vt singularis thesaurus, colenda, & auro preciosior, veneranda magis. Hancq; cum sic gratis acceperim, non precio vendã sed omnibus communem fieri tentabo vt præsentibus & posteris salutifera futura sit: eius autem compositio hæc est.
Recipe ardentis aquæ ex materia electa & ad flammam aut in balneo Marię confectæ duplici distillatione distillatę libras octo, aceti non vinosi albi libram

bram vnam & mediam: aquæ rosaceæ libras quatuor, florum harum rerum, buglossę, boraginis, nanuferis, cichoreę ana, manipulum medium, ossis de corde cerui, vncias quinque, boli armeni, vnciam vnam, margaritarum albarum, fragmētorū sapphiri, hyacinthi, smaragdi ana, drachmam vnam, foliorū auri numero duodecim, macis, drachmas duas berberis, drachmas quinque, seminum acetosę manipulū vnum, zedoarię, drachmas tres, casiæ ligneæ, drachmas duas, caryophyllorum, drachmas quinque, cinnamomi, drachmas duas, diptami, drachmas tres, moschi, ambræ, ana, drachmas quinque: omnia cōtundantur præter aurum, bolum, margaritas, plus quàm mediocriter. Aurum verò bene in mortario trituretur, bolus pulverizetur, & margaritæ. Sicque in vase vitreo omnia hæc, præter moschum, intromittantur, optimeque, vt decet, obturentur, stentque sic infusæ horis octo, & postea lambicentur, aquaque exiens vsui reseruetur. Quòd si eius dulcorationē quis optabit, cum liquiritia, vt actum, id age

re poterit. Moſchus autẽ & ambra in pe ciola ligata continuè infuſa teneantur.

Eius autem vſus omnni tempore eſſe poterit, cum ab æqualitate non elonge tur. Doſiſq; communis erit ana drachmam vnam, vſq; ad vnciam vnam vt minor ſic terminus ac maior deſignetur: medius autem variatur, id ętate, tempore, ſexu, complexione, virtuteq; in eo varietatem petentibus. Quamobrem conſilio peritorum in hoc ſtandum eſſe aio, quos harum rerum noticia ac moderatio non latuit.

Tibi enim, illuſtriſsime Princeps drachmam vnam vſq; ad duas vel tres doſis congrua erit, & cum vino aromatico mitior, de quo poſt. Contemplari velis, obſecro, huius diuinæ aquæ dignitatẽ excellentiamq;, cum ſic ad omnes bene ſe habeat. Et per ſacra rogo, quòd & ſi tibi gratis oblata fuerit, apud te non vileſcat, quam & ſi ſimplicem in peſte damnabunt, compoſitam minimè denigrare poterunt, cũ ſit cordis glorioſus clypeus, & ab æqualitate non diſtans. Aqua enim ardens ſimplex & compoſità

tanta eſt obſeruatione digna, vt mortales ad eam ſumendam non irreuerenter non impetuoſe accedere debent, ſed diſpoſiti & non niſi legibus muniti vt poſt.

De Cultu obſeruando in aſſumptione ardentis aquæ. CaP. XII.

EXcellentiam dignitatemq́ ardentis aquæ admodum tibi non incognitã eſſe puto, illuſtriſsime Princeps, quam cum ardentius contemplatus eris, ad eã peramandã excolendãq́ ſua ita te alliciet ſingularis virtus, vt facilè tuæ ſalubritatis Deam in terris tibi conſtitues. Eosq́ odio habebis qui ſuę eniſi erunt detrahere dignitati: qui, vt arbitror non importunè accuſandi ſunt quoniam operatorum malorum vitio eam perfectè non nouerunt. Hancq́ cũ ſemper vitiatam compoſuerint nõ glorioſi, non ita mirandi effectus ab ea emanarũt, qui, vt ſingulares dotes, à modernis illi attribuuntur.

Verùm ſi eam perfectam guſtauerint, eaq́, vt actum, vſi erunt, non hæſi-

to eos à sententia mea elongari debere. Equidem amanda est, colenda, dignificanda, & diuina penitus nominanda. Non ergo imprudenter quisq;, si præmunitus legibus non fuerit, non arroganter, non impetuose ad eam sumendam sic accedat, qui ab ea saluari cupit: sed magna cum veneratione, fide, ac obseruando cultu veluti alterum sacramẽtum assumat, primisq; pręceptis pareat de quibus actum. Nam corpora vitiata nimis ab eius vsu se abstineant. O quàm ridendum, ô vulgo imperito compatiendum, cum ferè soli crapulantes irreuerenter illam sumant. Nam cum ex serotina crapula matutina læsio percipitur, in peccati expiationem, ad eam sumendam in vicis inconsultè concurrũt, postq; assumptionem eius bibulorum loca visitant. Quapropter accipiendũ tribus ad minus horis eius post assumptionem, cibos aut potus sequi debere. Hi equidem sunt, cuius inordinata assumptione tali, in tremorem, quem eius ex vsu non perpauci incurrere verẽtur, sic facilè incurrunt, vt de iuuamentis argueba-

gueba-

guebamus. Hæc autem in corporis salubritatem à Deo creata est: qua ex re in tuendā sanitatem, inq; vitę prolōgationem, in denique expellendas ægritudines maxima cū veneratione uti debet homo. Et hoc loco primū cōmemorabo, ut à superfluitatibus, vt possibile est, mūdus sumens sit, quod debito regimine perficitur. Cum enim non cōstantis & diutinę sit operationis, sic humiditatibus immersa operari minimè valebit, & suā in membris qualitatem imprimere. Hæc enim in superficie agēs superficiales leuesq; humiditatum partes leuigat, ascendereq; facit, quæ facilè in origines neruorum sic penetrare poterūt: fietq; fortassis deinde accusatus tremor.
Qui itaq; sanitatem colunt, sicq; vitā in longū cupiūt ducere, ut corpus non sit vitiatū summa cum diligētia studeant. Hæc enim ambo ardens aqua operatur subiecto sic disposito etiam moderatè cum adminstrata fuerit. Quæ enim paucæ sunt superfluitates timendæ faciliter exterminat, sicq; earum putrefactio defenditur. Verùm & qui crapulationi in-

ſeruiũt, quos eius vſus delectaret, medi cos prius conſulant, crapulã& aut diȩta aut potatione medicinali prius cũ pace deponãt, & derelicta ſuperfluitas aquæ benedictæ officio, euaneſcet. Nam quẽ admodũ confeſsione grandiuſcula pec cata tolluntur, & leuia ac minora oblita benedictæ aquȩ diuinitate ex poſtea e- uaneſcũt, ita & aqua hac derelictȩ ſuper fluitates: quo fit vt calor vigoratus natu ralis, vita ſic in longum producat. Quã- obrem, vt ſacramentũ & altera vita co- lenda eſt. Quibus inducitur, vt declina tionis tempore & tremoris paralyſis, cȩ terorum& morborum corpus frigidita te ac humiditate perturbantium mode ratam potẽter magnificeq; valere. Cui ſententiæ Princeps alludere videtur cum dicat: Et vinum antiquum pau- cum confert valde ægritudinibus ner- uorum omnibus, plurimum verò ex eo ſumptum eſt nocibilior res neruis: ſic- que plurima nocebit. Alterum animad uertendum eſt, ſit& potantibus colen- dus canon, quòd eius ſimplicis aſſump tio etiam pauca in quantitate nonnullis

grauis

grauis ac molesta est. Quare commiscendum aut vinũ aut liquor alius, quo amicabilior reddatur. Verùm vinũ eligibilius, cum cæteris liquoribus sit suæ naturæ propinquius, sitq́ aromaticum: quod plurimi scientes, qui eius vsu delectantur, vnam eius. ℥. cum tribus aromatici vini assumũt. Est hic quidam cõmunis vsus, quòd si res ita te delectaret non accuso, sed approbo & consulo, vini & aquæ quantitates medicorum tuorum consilio variandas. Medo autem cum ea assumptus non accusandus est, quinimo, vt arbitror, consulendum, cũ eius opera etiam fuerint necessaria: ceruisiam non blasphemare debet: poterit enim sic via medicinæ cum ea sumi verùm nobiliora sunt duo prima. Reliquum vt cerebrum habentes debile, qui vaporibus vini facilè læduntur ad eam sumendam, non vt hi, qui fortè possident, pari pergaut audacia. Hi enim eius moderationem diligenti cura studeant. De his autem quorum stomachi calor debilis est inpræsentiarum nihil, cum de eis scriptũ sit supra. Et vt sola-

tiosum aliquid huic nostro opusculo adijciam, quo aures tuæ Dominationis demulceam, quod summè cupio, dubiũ inpræsentiarum excutiendum in postremis, sic in medium adducam: quod non inutile facio, neque à propositis remotum, sed quæ paulò ante dicta sunt, amplexabitur.

Scriptum enim est, vinum sua plurima cum quantitate rem plurimum nocuam esse. Non paucos audiuimus, vidimusq́ bibulos ante alterius rei assumptionem in crepusculo, vini plurimam quantitatem assumere, quibus vita & sanitas in longum producebatur, & eorum nonnullos modo ad octuagesimum peruenisse annum, quos neque tremor, neq; paralysis molestauit. Et cũ ardens aquavino suis in proprietatibus comparetur, ex vinoq́ fiat, cur eius plurimæ quantitatis vsus esse non poterit, quod à nobis accusatum fuit? Certè, vt arbitror, Gimininanus tuus, de quo supra etiam, in die non rarò adusq; vncias octo, gaudiosè deglutit, cuius ex assumptione tali se quadraginta annis sanum

num vixiſſe omnibus cum iuramento prædicat. Vt autem vini ad aquam ardentem differentia comprehendatur, accipiendum aquam ipſo vino calidiorem, ſicciorem, ſubtiliorem, euaporabiliorem, & velocius impreſsiuã eſſe, cum in diſtillatione, & præcipuè multiplicata aqueas vini partes ac terreas deſerat. Quapropter non ita conſtantis aut fortis eſt impreſsionis. Aqua enim, cum in ore eſt, ſtatim actuatur, & in mẽbra penetrat propinqua, cum parte aquea careat, qua velut vinum infrigidare poſſit: vinum autem in ſtomacho actuatur, & non in ore, niſi tempore certo retento, neq; ſic ad membra penetrat, aut inferiora aut ſuperiora. Aquæ autem huius reſolutio cita eſt, cuius impreſsio paruo durat tempore, vini operationi comparata, cum ipſius ſit ſpiritus.

Nam velut ex ſanguine ſpiritus gignitur, vt dux ſcribit medicorum, ita ex vino aqua ardens: ſanguis autem ſuo ſpiritu conſtantior eſt. Volitat itaq; vt ſpiritus aqua ardens: & aſſumpta, ſtatim partes oris, gutturis, cordis, cerebri ac

ſtomachi percutit. Et fortaſſe ad hepar ſic ſimplex non peruenit, cũ præcipuè paruæ fuerit quantitatis, quinimo exhalat & euaneſcit prius, quod minimè in vino contingit, cum denſioris ſit ſubſtãtiæ, & ad hepar penetrans. Quamobrẽ ſtomacho, cordi ac cerebro ſalubrior eſt adſcribenda. Vinum quidem & ſi in his operetur membris, in inferiora magis penetrat. Ob quam rẽ in oppilationes cęteroſq; inferiorum membrorum morbos magis poſſe videtur. Reliquũ eſt vt differre ſciamus rem vt medicinã, & ipſam aut potũ, aut cibum aſſumi debere. Quo fit, vt exhibendarum rerũ varietas, quantitate, tempore, ætate, confectione, ſimiliumq; contingat, quæ omnia, vt actum, in ardentis aquæ exhibitionem conſideranda ſunt. Quamòbrem cum prolongatio vitæ quęritur, mitior ſuis in qualitatibus exhibeatur. Si quidem ægritudinis remotio præcipuè que frigidæ ſit, ardentior tribuatur. Vinum quidem in plurima quãtitate ſumptum ſecum multas conducendo materias, caput etiam ſua multa quantitate

replet;

replet: hósque tot tantósque vapores, tantámque materiam calor cerebri sic suffocatus minimè resoluere & annullare potest. Quamobrem in humiditatem subtilem conuersi, & in neruorum origines penetrantes, causa sunt sic tremoris ac paralyseos factiua. Quòd si tantæ quantitatis aquæ ardentis vsus esset, non hæsitandum, quin ad hos perducat errores, cum euaporatiua sit, magísque penetratiua. Aqua enim ardens, vt medicina: vinum verò vt potus & nutrimentum pronuntietur. Qua ex re in exhibenda quãtitate, quàm plurimum sic differre dicatur. Si etenim ardentis aquæ vt vini tantæ quantitatis vsus foret in corpore magnam, quinimo maximam & subitam imprimeret caliditatem, qua necessitatem in corde euentandi tantam subito induceret, vt suffocationem, ac eius periculum pareret, eoq; præcipuè, cum spiritualibus euacuationem maximam & occupantem gigneret, accideretq; vt his qui paruo in loco claudũtur aere existente nimium calido, cui refrigeratio subito

ſuccedere non poteſt, hi autem ſuffocati pertinēt. Febres ephemeras ac putridas deinde adgeneraret, et hepatis inflāmationes: & tanta ac fortaſſis ita ſubita multorū fumorū ad caput euaporatio foret, ut inde apoplexia cōſequi poſſet. Deteſtandum quidem & ſic uini potentis inquantitate vſum ante præcipue cibi aſſumptionē. Quare Princeps amplius ſapiens ſibi prouidere debet ne ieiunus vinum bibat, quoniam magnum facit cerebro nocumentum & neruis, ad ſpaſmum perducit & ad amentiam: quibus omnibus ſubiecti ſunt, qui vſu plurimo ardentis aquæ delectantur.
Nam ſi vinum vetus, potens, odoriferū via medicinæ ſic aſſumeretur, non arbitror ea debere ſequi nocumenta: quam ob rem quantitatis conſideratio plurimum attendenda eſt. Vnde ſi in quantitate paululum maiori vinum tale aſſumeretur, cenſeo vt de aqua ardenti iuuare. Verùm poſt primi cibi aſſumpti digeſtionem completam, vt ante cenæ aſſumptionem, ſic vinum bibere etiam notabili in quantitate nullo præcedente cibo

te cibo delationis gratia partiũ grossa-rum, quæ ex prandio remanserũt, suaq́; grossitie penetrare non potentium, laudandum erit. & hoc est quod carmine canitur: A potu incipe cœnam.
Quid autem de potu tali ante prandiũ facto dicendum sit, consideret speculator. Et quod maius est tempus inter cœnam & prandium cadens, quàm inter prandium & cœnam: quare longitudine temporis corrigi potest, quod in breui fieri non valet. Et fortasse si quando fieret non noceret, etiam quia differt inter ipsum, vt potus est medicinalis & vt nutrimentalis. Vinum quoq; cum actu frigidum sit & humidum, neq; vt aqua celeriter actuetur, non hæc faciet nocumenta. Vinum pręterea magna in quãtitate sumptum, cum calor stomachi debilis esset, & totius, sic sua in frigiditate subito facta, mortem via extinctionis leuiter inducere posset. Hocq́; in loco quod in bibulo Patauino contingebat, commemorabo. Nam cum Fuluiensis noster ad scholas pergeret, per mediumq́; tabernarum trãsiret, audito cla-

more, interrogauit, vt quid esset? Responderunt, hîc mortuus est senex quidam. Nam cũ magna foret siti molestatus, duos cyathos Patauinos nullo interueniente temporis medio potauit, ilicóq; sic mortuus est. Cuius causam in scholis declarãs, ait: id extinctione caloris pauci à frigiditate multi vini, quod actuari non potuit, accidisse. Sic & multa aquæ ardentis quantitas, via resolutionis operari posset. Quid autem de bibulis dicemus? magis quidem aliorum sententiæ stabo. Verùm vt hic locus sic vacuus à nobis nõ discedat, quid arbitror, pace aliorũ dicam. Noui meo tempore bibulos, qui plurimo vino vtentes inebriati sunt, ita vt nulla trãsiret dies, qua aut vt simiæ, aut vt leones, aut vt porci non facti sint, & hos certè cognoui in facie cacetichos & breuis vitę fuisse. Noui & alios quibus cerebra fortia fuerunt, ita vt à vapore vini non faciliter passi sint, qui & si vino exterminati fuerint, nõ vltra quàm Salomones effecti fuerunt, & non persæpe terminos exiuerunt: hos in facie rubicundos esse

videbis

videbis ac gemmarum in fronte tabulam tenere: quibus vita sic prolongata fuit ex potẽti nutrimento vini, cum sit omniũ nutribilissimũ, vt actum. Hi sũt qui plurimo potu & pauco cibo gaudent, quibus, vt arbitror, etiam vita longior fuisset, si debito regimine vsi essẽt. Nam tales complexione aut cõpositione fortes, robustiq; ac plurimum calidi à natura creati fuerant, quæ vitę lõgitudinem pollicita erat. Et cũ ex his quosdam dulcibus verbis admonere enixus essem, pericula dãnaq; anteponerẽ, in quæ facilè sic casuri erant, respondebãt probato verbo plus credendum esse: tritum etenim est vt vulgari in nostro consonantius dicam: Chi vuole viuere san, beua dadoman. Hoc est, vt cæteris linguis satisfaciam. Manè potet quicunque cupit se viuere sanè. Et experientia confirmabant quadam cum Rhetorica ratione probãtes. Auibus autem aqua vt hominibus vinum potus est. Sed quæ manè ante alterius cibi assumptionem aues bibunt, cæteris vitæ sunt longioris, vt in anseribus sic esse cerni-

mus, cum anſer ducentorum annorum cõperta ſit, itaq; in hominihus ſic eſt di cẽdum. Et cũ eis ſic litigarẽ, verbaq; ſic inaniter effunderẽ, vt anſeres dereliqui. Dubium bibulis ſic diſſoluendũ trado. Itaq;, illuſtriſsime Princeps obſecro, &, ſi æquum eſt, oro, aquam hanc venerari atq; colere velis: ad eamq; ſumendã te diſponere, cum actiuorum actus nõ niſi in bene diſpoſito ſubiecto recipiantur. Quod cum feceris, non hęſito ſic vitam tuã prolõgari debere, eo pręcipuè cũ eius moderatus vſus fuerit in quantitate, tẽpore & huiuſmodi, de quibus actũ. Hęc mea ſententia eſt, hæc firma opinio, hæc fides, quibus cũ aliorum authoritate maiorẽ adhibebis fidẽ, quos conſulo, conſulas. Et cum in omnibus rationem quærere inueſtigareq; ſolitus ſis, neq; dicta mea abſq; ratione ſcripta ſint, ſpero non paruã te his fidem adhibere. Vale vnica ſpes mea, cuius vitam omnipotens Ieſus, vt opto, ſua miſericordia in æuum producere dignetur.

FINIS.

AQVA AVREA, BALSAMVM, & oleum nigrum.

RECipe terebinthinæ claræ vnc. vij. laua vino bene, deinceps, recipe mellis albi boni libras tres, despumando igne lento cum modico vino & clarifica bene, tunc appone terebinthinã miscendo bene, tũc affunde aquæ vitæ libras quatuor, & iterũ misce in cucurbita vitrea bene lutando, de hinc, recipe buglossæ, boraginis, melissæ, saluiæ lauendulæ, ana, m. 1. hyssopi, chamæmillæ, millefolij, rosarum rub. ana, manipu. dimidiũ, absinthij, drachmam vnã, roris marini, manip. duos. Deinceps recipe ligni aloes, xylobalsami, triasandalorum, ana, drachmam vnam, macis, nucis moschatæ, cinnamomi, galangæ, caryophyllorũ, cubebarum alb. & piperis longi, croci, spicænardi, granorum paradisi, cardamomi an. drachmas tres zedoariæ, vnciam dimidiam, squinanti drachmam dimidiam, corticis citri, seminis citri, stœchadis Arabici, an. drachmam vnam, calami aromatici drachmã

dimidiam, carlinæ, cardopacij, vncias duas, biſtortæ, drachmas duas, iridis, vnciam dimidiam, baccharum lauri, valerianæ, polypodij, ana, vnciam dimidiam, liquiritiæ, aniſi, ana, drachmam dimidiam, raphani, vncias duas, coriandri correcti, vnciam dimidiam, ſilerismontani, drachmam vnam, amygdalarum excorticatarum, libram dimidiam, paſſullarum vuarum minorum, libram dimidiam, lotarum cum vino: omnia illa contuſa pone in prædicta cucurbita ad mel & alia: & ſi aqua illa vitæ non ſufficit, plus appone, & ſic ſtent ſeptem diebus bene obſtructa, poſtea diſtilla in igne cineris cucurbitæ in latitudine trium digitorum non tangat fundum inferius & cineres circumponantur lutato alembico optimè cum cucurbita, ſupponendo vitrum quod cum roſtro alembici lutetur, & ad quatuor horas ſublimetur, lento igne ne mel bulliat, & fluet aqua clara: tandem ignem vigora, & cum aquam croceam videris, tunc aliud

liud vitrum appone, quod eſt lutandum cum roſtro cucurbitæ, & primam aquam ſerua ad partem, & vigora ignem donec non videbis aquam croceam: tunc iterum vigora ignem, & exibit aqua nigra, & cum videbis fumum, tunc ſufficit, & ſerua aquas tres ad partem, & ſtet alembicum in fornace donec frigeſcat. In prima aqua pone folij Indi drachmam vnam, ambræ, drachmam dimidiam, moſchi, ſcrupulum dimidium, & quindecim folia auri, & miſce cuſtodiendo.

Si vis pro capite vti, Recipe aquæ betonicæ vnciam vnam, aquæ primæ cochlear. miſce, bibe ieiunus.

Virtus huius fortificat omnia membra. Recipe vnciam vnam Maluatici vel boni vini in vitrum paruum & appoue aquæ huius albæ ſeu primæ cochlear vnum, miſce & erit alba vt lac, quam bibe ieiuno ſtomacho deſuper duabus horis, & præſeruat omnia membra.

Ad

Ad hepar frigidum, cum aquæ saluię vel cicerum, vel mororum, aut endiuiæ vnciam vnam in causa frigida.

Ad pectus & tussim ex catarrho frigido, cũ aqua hyssopi, vel ligustici, vel fœniculi.

Ad cor cum aqua buglossæ, boraginis, vel melissæ.

Ad stomachum cum absinthica vel simili.

Ad pulmones cum aqua pulmonariæ, vel adiantos, vel polypodij &c.

Pro splene cum aqua scolopendriæ.

Vertigini & apoplexiæ cum aqua pęonię, vel fœniculi, vel hypericon.

Pro calculo, cum aqua raphani vel alkakengi.

In retentione vrinæ cum aqua nasturtij, vel petroselini, vel saxifragiæ.

Ad oculos cum aqua fœniculi vel eufragiæ.

In retentione menstruorum cum aqua artemisiæ, cum aqua radicis & similibus.

In nimio verò eorum mestruorum fluxu cum aqua plantaginis vel solani.

In

In læsione matricis ab obstetrice vel ex frigiditate vnde amplius non concipit, vtatur ea cũ aqua Valerianæ, vel Betonicæ, vel simili.

In maculis faciei: Recipe aquæ pimpinellę partes quatuor, aquæ albę seu primę partem vnam, misce & vnge faciem mane & serò: bibe etiam eã in septimana bis vel ter cum aqua endiuiæ.

Curat cancrum ea perunctum & fistulam immissa sæpius gutta. Confert in arthretica frigida si perũgatur: in dolore matricis sumatur cum aqua matricariæ.

In febribus interpollatis præsertim quartana, vel in quotidiana: Recipe baccaræ manip. dimidium, pone in vitrum & appone aquæ albæ quartã vnam & tribus diebus tecta & obstructa maneant, postea effunde in aliud vitrũ, dehinc ante accessionem febris per horam bibat vnum cochlear, & tempora vngat, nasum, pulsum, dorsum, splenem vel etiam ventriculum in cotidiana.

Citrinum oleum habet virtutes multas vt balsamum, si perungatur.

Oleum nigrum eſt etiam magnæ vir tutis in arthretica perunctum vt Mater balſami alba, dicitur aqua aurea.

AQVARVM MATER, SEV *mater balſami, oleum balſami.*

REcipe Terebinthinę bene lotę lib. 1. mellis deſpumati lib. ſemis, aquæ vitæ ter diſtillatæ lib. 1. & ſemis, id eſt viginti quatuor vnc. ligni Aloes bene triti, ſandali albi & rubei & citrini, ana vncias tres, gummi Arabici drachmam vnam nũcis moſchatæ, galangæ, cubebarũ, cinnamomi, macis, caryophyllorũ ſpicæ nardi, croci, zingiberis albi ana drachmas tres, moſchi puri ſcrupulum vnum: omnia bene terantur, & ad inuicem miſceantur, & in alembico vitreo ponantur, & peroptimè lutetur ne quid reſpirare poſsit, & fac primò ignem lentum quouſque habueris aquam primã, quæ limpida eſt vt aqua fontis.

Et cùm ſecunda venerit quę eſt ſicut carbo ignitus, tunc fortifica ignem motu continuo & non per ſaltum: & dum venerit tertia, quæ eſt nigra & ſpiſſa ſicut mel, tunc magis fortifica ignem, do-

nec

nec totum liquorem habueris. Et ſcias, quòd quælibet iſtarum aquarum eſt calida, vltima tamen magis quàm ſecunda, & ſecunda magis quàm prima. Prima vocatur Mater balſami, ſecunda oleum balſami, tertia verò balſamum artificiale: prima aqua eſt clara, & cum vino potabilis, ſecunda & tertia ualent ad fomentandum & ungendum infirmitates, quæ corrodunt nouiter carnes humanas. Prima aqua potata tepida cũ vino bono & tepido conſumit phlegma in omni ſtomacho, reddit appetitũ comedendi, purgat ſtomachum ab omni malo humore. Item potata non permittit apoſtemata venire ad cor, neque ad partes præcordiorum: item panniculus lineus ſubtilis tinctus in iſta aqua & poſitus ad nares ꝙ longius potes intus purgat à reumate, q̊d fiat in introitu lecti pannũ intra nares dimittẽdo: itẽ ſi bibat̃ manè & ſero anhelitũ fętidum ex quacũq; cauſa ꝓueniat, curat: itẽ dẽtes fortificat ac dealbat ſi inde lauet̃, & dentiũ dolorem ex quacũq; cauſa curat, ac ipſos integros cõſeruat ac prȩſeruat à

corruptione. Item vulnera cum ea lota à fiſtula & quacunque alia ſuperueniente infirmitate curat, & carnes ad ſtatum priſtinũ perfectè reducit, ita quòd ponas ſupervulnus pannum madefactum in hac aqua: hoc probatum eſt ſæpe.

Valet etiam contra quartanas ſi ſpinam dorſi fortiter confricaueris per aliquot dies. Item contra ſcabiem, ſi cum hac aqua lauetur: contra hæmorrhoidas, ſi pannum hac intinctum ſuperpoſueris: contra omnem ſurditatem, ſi modicum cũ bombace imbibita in aure tenueris, & per conſequens facit ſurdos audire, & mutos loqui: nam hoc eſt verum in his qui in linguæ apoplexiam incurrunt, ſiue quibus lingua paralitica tur ac loquela cadit, & generaliter valet contra omnes infirmitates ex cauſa frigida prouenientes. Secunda & tertia aquæ valent contra morbum Noli me tãgere, contra morbum regiũ ſeu lupinũ, contra ſtrumas, & generaliter cõtra omnẽ fiſtulam, malum mortuũ, ſcilicet prædicta lauando & fomentando ac pannum in ea madefactum ſuperponẽdo.

Item

Item: si quis collisus fuerit, vel cum lapide conquassatus, vel ex alto cadens vel vtcunque percussus fuerit, vel mutilatus fuerit, aut costas fractas habuerit, si ad ignem cum istis bene fricatus fuerit sanabitur. Item interficit araneam si cũ hac aqua tacta fuerit, & nullum venenũ huic appropinquare potest. Paralysin omnium membrorum curat, si quis lotus fuerit ex eadem. Item fortificat omnia membra corporis si cum ea lauẽtur. Et scias quòd prima aqua, est generalis ad omnes infirmitates, id est continens virtutes aliarum: sed in infirmitatibus corrosiuis plus valent secunda & tertia quàm prima, & tertia plus quàm secunda, & generaliter valent ad omnes infirmitates procedentes ex phlegmate vel sanguine corrupto, ita quòd inter artificiales aquas ista, aqua vocatur Mater aquarum.

&cet.

BREVISSIMVS RERVM *maiorum index in Ioanne de Rupescissa.*

quinta

Finis

ERRATA INTER EXCV dēdum præcipua.

In Præfatione.

Pagina 3. *à tergo, linea* 2: *aliqui. Vlstadius lin.* 4

In libro.

Pag. 43 *linea* 1 *fict.* 44. 19 *laxatiuæ* 42. 6 *&* *perfecit.* 64. 13 *serapinum, opopanacum.* 77 4 *& quintam.* 68. 8 *aizoon* 85. 3 *abradendo.* 93. 13 *coadunant &.* 106. 5 *in colore.* 100. 1 *turpis.* 97. 3 *sigillata luto.* 123. 7 *coloris aurei* 118. 14 *secundæ ad.* 133. 8 *Deus in* 149. 20 *ebuli & hellebori nigri.* 161. 13 *cum hac.* 185. 16 *premittatur purg. ibid.* 22 *cephalea.* 192. 15 *quin curetur* 224. 6 *quolibet mane* . 203. 21 *mista cum* 215. *ult. uerò uinum.*